
SERMONES ROMANI

AD VSVM DISCIPVLORVM
EDIDIT
HANS H. ØRBERG



SERMONES ROMANI

AD VSVM DISCIPVLORVM
EDIDIT
HANS H. ØRBERG

DOMVS LATINA
MMIV

SERMONES ROMANI
© Hans H. Ørberg 2004

Omnia proprietatis iura reservantur
Ex officina typographica *Special-Trykkeriet Viborg*

ISBN 87-90696-07-7

LINGVA LATINA
PER SE ILLVSTRATA

PARS I: FAMILIA ROMANA
PARS II: ROMA AETERNA
INDICES
COLLOQVIA PERSONARVM
EXERCITIA LATINA I & II
GRAMMATICA LATINA

SERMONES ROMANI
PLAVTVS: AMPHITRYO
CAESAR: DE BELLO GALLICO
PETRONIVS: CENA TRIMALCHIONIS

Domus Latina, *Skovvangen 7*
DK-8500 Grenaa, Dania
orberg@lingua-latina.dk

SERMONES QVI HOC LIBRO CONTINENTVR

Interpretāmenta	4
Dē sermōne cotīdiānō	5
Menaechmī. *Plautus*	21
Dē versibus Plautī et Phaedrī	27
Dē rē rūsticā. *Catō*	29
Fābulae Aesōpiae. *Phaedrus*	31
Colloquium Arminiī cum Flāvō frātre. *Tacitus*	42
Dē Chrīstiānīs invīsīs. *Tacitus*	44
Dē cēnā magnā. *Lūcās*	45
Dē fīliō perditō. *Lūcās*	45
Dē dēnāriō Caesaris. *Lūcās*	47
Ostentātor pecūniōsī. Ex *Rhētoricā ad Herennium*	48
Vīta suāvis. *Horātius*	51
Garrulus molestus. *Horātius*	53
Dē mendāciō Papīriī puerī. *Aulus Gellius*	57
Dē convīviō. *Aulus Gellius*	58
Dē contemnendā morte. *Cicerō*	59
"Domī nōn sum." *Cicerō*	65
Nimis poēta es, Ligurīne! *Mārtiālis*	66
Dē quaestiōne Chrīstiānōrum. *Plīnius*	67
Passiō Scillitānōrum	70
Index vocābulōrum	73
Index nōminum	79
Notae	80

In margine pāginārum explānantur vocābula quae nōn reperiuntur in librō cui titulus est LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA, PARS I: FAMILIA ROMANA (ISBN 87-997016-5-0).

INTERPRETAMENTA

cōnscrīpsit

grammaticus quīdam Rōmānus

('Pseudo-Dositheus' quī vocātur)

Liber III

DE SERMONE COTIDIANO

PROLOGVS

Quoniam videō multōs cupientēs Latīnē loquī et Graecē neque facile posse propter difficultātem et multitūdinem verbōrum, nōn pepercī hoc facere, ut in tribus librīs *Interpretāmentōrum* omnia verba cōnscrīberem...

In prīmō quidem librō omnia verba cōnscrīpsī per ōrdinem litterārum ā prīmā litterā ūsque ad novissimam litteram. In secundō autem plūra verba secundum ōrdinem dīversārum rērum cōnstituī.

Nunc ergō incipiam scrībere – quoniam parvulīs puerīs incipientibus ērudīrī necessārium vidēbam – audītiōnem interpretāmentōrum sermōnis cotīdiānī, per quem facilius Latīnē et Graecē loquī īnstruantur. Idcircō paucīs *dē sermōne cotīdiānō* cōnscrīpsī quae subiecta sunt.

interpretāmentum -ī *n* < *interpretārī* = explānāre, in aliam linguam vertere; *pl* verba interpretanda (Graecē/Latīnē); (*Gr. Hermēneumata* -um *n pl*)
cōn-scrībere = scrībere (librum)
grammaticus -ī *m* = vir doctus quī artī grammaticae studet
'Pseudo-Dositheus' ('falsus Dositheus'): ita vocārī solet quia anteā hī librī ā Dositheō grammaticō scrīptī esse putābantur saeculō IV post Chrīstum nātum

cotīdiānus -a -um < cotīdiē

prologus -ī *m* = sermō ā quō incipit fābula

difficultās -ātis *f* < difficilis

parcere pepercisse + *īnf* = dēsistere, (sē) abstinēre; nōn pepercī facere = sine morā fēcī

novissimus -a -um = ultimus
secundum *prp* + *acc*
dī-versus -a -um = varius
ōrdō dīversārum rērum: ut *dē caelō, dē homine, dē piscibus, dē arboribus, dē avibus, dē bēstiīs,* cēt.
ē-rudīre = docēre (ita ut discipulus ē rudī doctus fīat)
audītiō -ōnis *f* = verba magistrī discipulīs discenda
īn-struere = docēre
id-circō = ideō
paucīs *verbīs*
sub-icere -iō -iēcisse -iectum = īnfrā adicere

DE SERMONE COTIDIANO

[*INTERPRETAMENTA dīcuntur librī trēs ā quōdam grammaticō Latīnē et Graecē cōnscrīptī saeculō secundō p.C., quōrum tertius est* dē sermōne cotīdiānō. *In sermōnibus quae sequuntur verba Graeca omissa sunt.*]

I. DISCIPVLVS (I)

– Sōl ortus est. Sōlis ortus. Lūx. Lūmen. Iam lūcet. –

Ante lūcem māne surgō – surrēxī – dē lectō.

"Vestī mē! Dā mihi calceāmenta!" Iam calceātus sum.

"Affer aquam manibus! Manūs sordidae sunt."

Lavō – iam lāvī – meās manūs et faciem. Tergeō – adhūc nōn tersī.

Prōcēdō forās dē cubiculō. Vādō in scholam.

Prīmum salūtō magistrum, quī mē resalūtāvit: "Avē, magister! – Avēte, condiscipulī! Locum mihi date meum! Illūc accēdite! Meus locus est. Ego occupāvī!"

Sedeō. Discō.



"Iam teneō meam lēctiōnem: *meus, mihi, noster, nōbīs, tuus, tibi, vester, vōbīs.* Iam possum reddere."

Reddō. Scrībō.

Versūs posteā coepī legere.

"Praedūcere nesciō. Tū mihi praedūc, quōmodo scīs!"

"Cēra dūra est, mollis dēbuit esse." Tabulam dēleō.

"Scrībe tū mihi pāginam!"

Iam didicī quod accēperam.

Rogāvī 'ut mē dīmitteret domum ad prandium', et ille mē dīmīsit. Ego illī 'bene valēre' dīxī. Resalūtāvit mē.

Postquam pranderam, reversus reddidī.

p. C. = post Chrīstum (nātum)

o-mittere = nōn dīcere/scrībere, dēmere (↔ addere)

orīrī ortum esse
ortus -ūs *m* < orīrī
lūmen -inis *n* = lūx

calceāmentum -ī *n* = calceus
calceātus -a -um = calceīs indūtus

lavāre lāvisse lautum/lōtum

tergēre -sisse -sum

vādere -sisse = īre
schola -ae *f* = lūdus
re-salūtāre
avē! avēte! = salvē! salvēte!
con-discipulus -ī *m* = discipulus eiusdem scholae
occupāre = capere et suum facere

lēctiō -ōnis *f* (< legere) = quod legendum (discendum) est

red-dere : sine librō quod discendum erat recitāre

prae-dūcere = līneās dūcere
quōmodo = eō modō quō, sīcut

"dīmitte mē...!"
prandium -ī *n* = cibus quī merīdiē ēstur
ill*um* 'bene valēre' *iussī:* "bene valē!"
prandēre -disse prānsum = prandium ēsse

II. DISCIPVLVS (II)

ē-vigilāre = vigilāre incipere

Ante lūcem ēvigilāvī dē somnō. Surrēxī dē lectō et vocāvī puerum. Iussī 'aperīre fenestram'. Aperuit citō.

puer : servus
citō *adv* = celeriter
caliga -ae *f* = calceus altus
calceāre sē = calceōs induere

Sēdī. Poposcī calceāmenta et caligās. Calceāvī mē.

linteum -ī *n* quō corpus tergētur



Poposcī aquam ad faciem. Lavō prīmum manūs, deinde faciem lāvī. Accēpī linteum. Tersī manūs, deinde bracchia et faciem.



caliga -ae *f*

dē-pōnere ↔ induere
dormītōrius -a -um < dormīre; *f* = vestis dormītōria
cingere cīnxisse cīnctum; c. sē = *cingulum* induere
superāria -ae *f* = vestis quae super aliam geritur (: toga)
paenula -ae *f* = pallium

Dēposuī dormītōriam. Accēpī tunicam ad corpus. Cīnxī mē. Induī superāriam albam. Suprā induō paenulam.



cingulum -ī *n*

paedagōgus -ī *m* = servus quī discipulum comitātur
salūtāre : ut salūtārem, salūtātum
ambō -ae -ō = duo simul, uterque; *acc* -ōs -ās -ō
intro-īre -eō -iisse = intrāre

Prōcessī dē cubiculō cum paedagōgō et cum nūtrīce salūtāre patrem et mātrem. Ambōs salūtāvī et ōsculātus sum. Et sīc dēscendī dē domō.

Eō ad scholam. Introiī. Dīxī: "Avē, magister!" et ipse mē ōsculātus est et resalūtāvit.



thēca -ae *f*

por-rigere -rēxisse -rēctum = trādere manum extendendō
dē-scrībere
exemplar -āris *n* = quod exemplī causā scrīptum est
ut +*perf* = postquam
ē-mendāre = menda corrigere

Porrēxit mihi puer meus tabulās, thēcam, stilum.

Meō locō sedēns ⟨tabulam⟩ dēleō. Dēscrībō ad exemplar. Ut scrīpsī, ostendō magistrō. Ēmendāvit.

ē-discere = discere ad reddendum

Iubet mē legere. Librum accēpī. Lēgī lēctiōnem meam. Ēdiscēbam interpretāmenta. Reddidī.

Sed statim ⟨dīxī condiscipulō⟩: "Dictā mihi!"

Dictāvit mihi condiscipulus. "Et tū" inquit "dictā mihi!"

Dīxī eī: "Redde prīmum!"

prius tē (*abl*) = prius quam tū

Et dīxit mihi: "Nōn vīdistī, cum redderem prius tē?"

Et dīxī: "Mentīris! Nōn reddidistī."

"Nōn mentior!" – "Sī vērum dīcis, dictō."

iussū +*gen:* iussū magistrī = magistrō iubente, ut iubet magister
pusillus -a -um = parvus
elementa -ōrum *n pl* = litterae singulae (A B C... L M N...)
dī-numerāre = numerāre (dīvidendō)
sub-doctor -ōris *m* = quī sub magistrō docet

Inter haec iussū magistrī surgunt pusillī ad elementa, et syllabās dīnumerāvit eīs ūnus dē māiōribus.

Aliī ad subdoctōrem ōrdine reddunt, nōmina scrībunt, versūs recitāvērunt.

Et ego in prīmā classe dictātum accēpī.

Dēclīnāvī genera nōminum. Partītus sum versum.

classis -is *f* = numerus discipulōrum quī simul docentur
dictātum -ī *n* = quod dictātur
versum *in pedēs* partītus sum

Ut haec ēgimus, dīmīsit ad prandium. Dīmissus vērō redeō domum.

magister nōs dīmīsit




olīva -ae *f*

Mūtō. Accipiō pānem candidum, olīvās, cāseum, cāricās, nucēs. Bibō aquam frīgidam.

ficus -ūs *f*



mūtō *vestem*
cārica -ae *f* = *fīcus* sicca



cāseus -ī *m*

Prānsus revertor iterum ad scholam. Inveniō magistrum perlegentem, et dīxit: "Incipite ab initiō!"

prānsus : postquam prandī
per-legere

III. SALVTATIO

salūtātiō -ōnis *f* < salūtāre

[*Iūlius prōcēdēns amīcō suō Gāiō occurrit.*]

[*Gāius:*] "Salvē, domine!"

[*Iūlius:*] "Salvus sīs semper, amantissime! Quōmodo rēs tuae? omnia bene?"

amantissimus -a -um = cārissimus

[*Gāius:*] "Quōmodo diī volunt."

quōmodo = sīcut

[*Iūlius:*] "Quid agis?"

[*Gāius:*] "Modo agēbam, nunc autem vacat mihi."

vacāre = vacuum esse; vacat mihi = tempus vacuum (ōtium) mihi est

[*Iūlius:*] "Sī vīs, venī mēcum!"

[*Gāius:*] "Quō?"

[*Iūlius:*] "Ad amīcum nostrum Lūcium. Vīsitēmus eum."

vīsitāre = vīsere

[*Gāius:*] "Quid enim habet?"

quid habet? = quōmodo sē habet?

[*Iūlius:*] "Aegrōtat."

[*Gāius:*] "Ā quandō?"

[*Iūlius:*] "Intrā paucōs diēs incidit."

in-cidere -disse < in + cadere; (in *morbum*) i. = aeger fierī; morbus -ī *m* = mala valētūdō

[*Gāius:*] "Ubi manet?"

manēre = habitāre

[*Iūlius:*] "Nōn longē. Sīs, ambulā!"

longē = procul
sīs = sī vīs

[*Iūlius et Gāius ad domum Lūciī ambulant.*]

[*Iūlius:*] "Haec est, putō, domus eius."

[*Gāius:*] "Haec est. Ecce ōstiārius."

(interrogāre) sī : num, an
in-gredī -gressum = intrāre


[*Iūlius:*] "Interrogā eum, sī possīmus ingredī et vidēre dominum eius."

ille : ōstiārius

Et ille dīxit: "Quem quaeritis?"

dē salūte : dē valētūdine

[*Gāius:*] "Dominum tuum. Dē salūte eius venīmus."



scālae -ārum *f pl*

[*Ōstiārius:*] "Ascendite!"

[*Iūlius:*] "Quot scālās?"

dextera -ae *f* = dextra

[*Ōstiārius:*] "Duās. Ad dexteram pulsāte – sī tamen vēnit: prōcesserat enim."

[*Iūlius et Gāius duās scālās ascendunt.*]

[*Iūlius:*] "Pulsēmus!"

[*Ōstium pulsant.*]

[*Servus, intus:*] "Quis est? [*Ōstium aperiēns.*] Salvēte, dominī!"

nūntiā 'mē *vēnisse*'

[*Iūlius:*] "Dominum tuum volumus vīsitāre. Sī vigilat, nūntiā mē!"



laurus -ī *f*

Et ille dīxit: "Nōn est hīc."

[*Iūlius:*] "Quid nārrās? Sed ubi est?"

laurētum -ī *n* = silva laurōrum
de-ambulāre = hūc illūc ambulāre; deambulā*tum*
grātulārī + *dat* = dīcere 'sibi grātam esse alicuius bonam fortūnam'

[*Servus:*] "Illūc dēscendit ad laurētum deambulāre."

[*Iūlius:*] "Grātulāmur illī. Cum vēnerit, dīcitō illī 'nōs ad ipsum grātulantēs vēnisse ad salūtem eius', quia omnia rēctē sē habent."

[*Servus:*] "Sīc faciam."

abs-cēdere = abīre, discēdere

[*Iūlius et Gāius abscēdunt.*]

IV. INVITATIO

[*Iūlius:*] "Tū quō vādis?"

[*Gāius:*] "Domum festīnō. Quārē inquīsīstī?"

[*Iūlius:*] "Sī tibi suāve est, hodiē apud mē prandē frūgāliter. Vīnō bonō domesticō ūtimur."

[*Gāius:*] "Sīc fiat."

[*Iūlius:*] "Temperius ergō venī ad nōs."

[*Gāius:*] "Quandō vīs, mitte ad nōs. Domī sum."

[*Iūlius:*] "Sīc fiat nōbīs."

[*Gāius domum pergit.*]

[*Iūlius, ad servum suum:*] "Tū, puer, sequere mē ad macellum! Aliquid emāmus ad prandium."

[*Iūlius cum servō ad macellum it.*]

[*Iūlius:*] "Interrogā, quantī piscēs."

[*Servus, postquam interrogāvit:*] "Dēnāriīs decem."

[*In macellō Iūlius piscēs emit et carnem.*]

[*Iūlius:*] "Tū, puer, refer domum, ut possīmus īre ad holerārium et emere holera quae necessāria sunt, et pōma: mōra, fīcūs, māla, pira..."

[*In forō holerāriō Iūlius holera et pōma emit.*]

[*Iūlius:*] "Ecce habēs omnia quae ēmimus; refer domum!"

[*Iūlius cum servō domum redit.*]

[*Iūlius:*] "Vocet aliquis cocum! Ubi est?"

[*Servus:*] "Sūrsum ascendit."

[*Iūlius:*] "Et quid vult? Dēscendat hūc! [*Ad cocum quī dēscendit:*] Tolle, coque dīligenter pulmentāria! [*Ad servum:*] Affer clāvem! Prōfer quae necessāria sunt: salem, oleum Hispānum ad lucernās, acētum ācre,

invītātiō -ōnis *f* < *invītāre* = vocāre (domum suam)

festīnāre = properāre
in-quīrere -sīvisse/-siisse -sītum = quaerere; -īstī < -iistī
suāvis -e = iūcundus
frūgālis -e = haud magnificus sed bonus
domesticus -a -um (< domus) = domī factus


temperī *adv* (↔ tardē) = ad tempus; *comp* temperius
nūntium mitte


īre pergit

macellum -ī *n* = forum ubi carō et piscēs *vēneunt*
vēn-īre -eō -iisse = vēndī

quantī (*gen* = quantō pretiō) piscēs *sint* (: cōnstent)

holerārius -a -um < holus; *n* forum ubi holera vēneunt
pōmum -ī *n:* pōma sunt māla, pira, fīcūs, mōra, cēt.

mōrum -ī *n* 



oleum ex olīvīs efficitur

pulmentārium -ī *n* = cibus (carō) quae coquitur

Hispānus -a -um: ex Hispāniā
acētum -ī *n* = vīnum acerbum
ācer ācris ācre = acerbus

carbō 
-ōnis *m*


secūris
-is *f*


catīnum
-ī *n*


caccabus
-ī *m*


ōlla
-ae *f*

secūris -is *f*, *acc* -im, *abl* -ī

vīnum album et nigrum, ligna sicca, carbōnēs, secūrim, vāsa, catīna, caccabum, ōllam...!"

ef-ferre ex-tulisse ē-lātum
< ex + ferre

[*Servus, postquam omnia extulit:*] "Quid aliud vīs?"

inde : deinde
lavāre = lavārī (in balneō)

[*Iūlius:*] "Haec tantum, puer: Vāde ad Gāium et dīc eī: "Venī!" Inde lavēmus. Vāde! Curre! Citō fac!"

[*Abit servus, et citō revertitur.*]

[*Iūlius:*] "Fuistī ad eum?"

[*Servus:*] "Fuī."

[*Iūlius:*] "Ubi erat?"

[*Servus:*] "In domō sedēbat."

[*Iūlius:*] "Et quid faciēbat?"

studēre = litterīs studēre

[*Servus:*] "Studēbat."

[*Iūlius:*] "Et quid dīxit?"

[*Servus:*] "'Exspectā mē!'"

[*Iūlius:*] "Vāde iterum, et dīc eī: 'Omnēs hīc sunt.' Cum eō venī!"

[*Servus iterum abit.*]

cēnātiō -ōnis *f* = triclīnium

[*Iūlius, ad aliōs servōs:*] "Vōs interim sternite cēnātiōnem!"

sternere strāvisse strātum

[*Servī:*] "Iam strāvimus. Omnia parāta sunt."

[*Servus iterum revertitur sine Gāiō.*]

sērus -a -um = tardus, posterior; *adv* sērō ↔ temperī
sērō nōs facis prandēre = facis ut sērō prandeāmus

[*Iūlius:*] "Nōndum venit? Vāde, dīc eī: 'Sērō nōs facis prandēre!' [*Gāium advenientem cōnspicit.*] Ecce venit. Occurre eī!"

ob-viam īre + *dat* = occurrere

[*Servus Gāiō obviam it.*]

strigilis -is *f* 

ampulla -ae *f* 

V. BALNEVM

[*Iūlius, quī amīcōs invītāvit, ante cēnam cum Gāiō amīcō in balneum itūrus est, ut lavētur et exerceātur.*]

[*Iūlius, ad servōs:*] "Afferte sabana ad balneum, strigilem, ampullam! Praecēdite, occupāte locum!"

[*Servus:*] "Ubi iubēs? In thermīs an in prīvātō?"

[*Iūlius:*] "In thermīs. Praecēdite tantum! *Vōbīs* dīcō quī hīc estis! Calida fīat nōbīs. Ego autem, ūsque dum locum invenītis, unguentārium salūtābō."


fūmus -ī *m*
tūs

[*Servī ad thermās praecēdunt. Iūlius unguentārium petit.*]

[*Unguentārius:*] "Iūlī, avē!"

[*Iūlius:*] "Salūtō tē! Dā mihi tūs et unguentum, quod sufficit hodiē ad hominēs vīgintī, sed dē bonō!"

[*Domum reversus Iūlius, ad Gāium:*] "Surge, eāmus! Hinc vīs per porticum propter lūmen? [*Gāius silet.*] Numquid vīs venīre ad sēcessum?"

[*Gāius:*] "Bene mē admonuistī: venter mē cōgit."

[*Gāius discēdit ad sēcessum et mox redit.*]

[*Iūlius:*] "Eāmus iam!"

[*Amīcī per porticum ad thermās eunt.*]

[*Iūlius, in thermīs, ad servum:*] "Exue mē! Excalceā mē, puer! Accipe vestīmenta, servā bene – nē obdormiās, propter fūrēs! Rape nōbīs pilam! [*Ad Gāium:*] Lūdāmus in sphaeristēriō!"

[*Amīcī in sphaeristēriō pilā lūdunt.*]

[*Iūlius:*] "Exercērī volō in cērōmate. Venī, luctēmur!"

ampulla -ae *f*: quā continētur *unguentum* -ī *n* = oleum suāve quō corpus *ungitur*
ungere ūnxisse ūnctum = unguentō *per-fundere*

exercēre = (membra) movēre valētūdinis causā; exercērī = sē exercēre
sabanum -ī *n* = linteum

prae-cēdere ↔ sequī

thermae -ārum *f pl* = balneum pūblicum (↔ prīvātum)

calida -ae *f* = aqua calida

unguentārius -ī *m* = quī unguentum vēndit

tūs tūris *n*: ē tūre accēnsō oritur *fūmus* suāvis
suf-ficere = satis esse

vīs *īre*
porticus -ūs *f* = ōrdō columnārum sub tēctō
num-quid...? = num...? -ne...?
sēcessus -ūs *m* = locus sōlus ubi venter *ex-onerātur* (↔ implētur)
ad-monēre = monēre

ex-uere ↔ vestīre
ex-calceāre ↔ calceāre
servāre = salvum cūstōdīre
ob-dormīre (↔ ēvigilāre) = incipere dormīre; nē obdormiās! = nōlī obdormīre!
sphaeristērium -ī *n* = locus ubi hominēs pilā lūdunt

cērōma -atis *n* = locus ubi hominēs luctantur (= *palaestra*)

[*Gāius:*] "Nesciō, neque possum, iam dūdum enim dēstitī luctārī. Tamen temptō – sī possum."

[*Iūlius cum Gāiō luctātur in cērōmate.*]

[*Gāius:*] "Leviter fatīgātus sum."

[*Iūlius:*] "Introeāmus in cellam prīmam tepidāriam."

[*Iūlius introiēns, ad servum:*] "Dā balneātōrī nummōs! Accipe reliquum! Unge mē! Fricā mē! [*Ad Gāium:*] Venī ad sūdātōrium!"

[*In sūdātōrium introeunt.*]


sūdor

[*Iūlius:*] "Sūdās?"

[*Gāius, sūdōrem dētergēns:*] "Sūdō. Lassus sum. Introeāmus ad solium!"

[*Iūlius:*] "Dēscende! Ūtāmur assā, et sīc dēscendāmus ad solium! [*Dēscendit ipse.*] Dēscende!"

[*Gāius, dēscendēns:*] "Bene temperātum est solium."

[*Iūlius:*] "Exī iam! Mitte tē ipsum in piscīnam subdīvālem!"

[*Forās exeunt et in piscīnam frīgidam sē mittunt.*]

[*Iūlius, natāns:*] "Natā!"

[*Gāius:*] "Natāvī."

[*Iūlius, cum Gāiō ē piscīnā ēgressus:*] "Frīgidam habuimus bonam. Ad lutum accēde! Perfunde tē ipsum!"

[*Gāius:*] "Perfūdī. Resūmpsī."

[*Iūlius, ad servum:*] "Porrige strigilem! Dēstringe mē! Dā sabana! Tergē mihi caput et pedēs! Dā caligulās! Calceā mē! Vestī mē! Indue superāriam! Colligite vestīmenta et omnia nostra! [*Ad Gāium:*] Bene lāvistī? Bene tibi sit!"

[*Iūlius et Gāius lautī redeunt ad cēnam.*]

iam dūdum *adv* = iam prīdem
temptāre = cōnārī

cella -ae *f* = locus clausus
tepidārius -a -um < *tepidus* -a -um = nec frīgidus nec calidus
balneātor -ōris *m* = quī balneum cūstōdit
fricāre = tergēre premendō


sūdātōrium -ī *n* (< *sūdāre*) = cella balneī calidissima

sūdāre: hominēs ob magnum calōrem vel labōrem sūdant
sūdor -ōris *m* < sūdāre

lassus -a -um = fessus
solium -ī *n* = magnum balneī vās

assa -ae *f* = balneum siccum calidissimum, sūdātōrium

temperāre = rēctē miscēre (calidum et frīgidum)
piscīna -ae *f* = lacus arte factus
subdīvālis -e = sub caelō apertō situs (nōn sub tēctō)


solium

frīgida -ae *f* = aqua frīgida, balneum frīgidum
lutum -ī *n* = terra mollis ūmida (in thermīs corpus lutō perfunditur)
re-sūmere = vīrēs re-sūmere
dē-stringere = strigile fricāre (ita dētergētur lutum, oleum, sūdor)
caligula -ae *f* = caliga (parva)

col-ligere -lēgisse -lēctum = ūnō locō pōnere (↔ spargere)

VI. CONVIVIVM

[*Ōstiārius, ad Iūlium ā balneīs redeuntem:*] "Salvum lōtum, domine! Amīcī vēnērunt."

balneae -ārum *f pl* = thermae
lōtus -a -um = lautus *part* < lavāre; salvum lōtum! : salvum lōtum tē esse gaudeō

[*Iūlius hospitēs suōs salvēre iubet.*]

[*Iūlius, ad servōs:*] "Date hīc sellās! [*Ad hospitēs:*] Quid stātis? Sedēte! [*Ad Gāium:*] Quid stās? Sedē! [*Ad ministrum:*] Temperā! Valdē enim sitiō. Miscē nōbīs! [*Ad hospitēs:*] Quis quid vult? [*Ad Gāium:*] Tū quid vīs?"

temperā *vīnum calidum frīgidō!*
sitīre (< sitis) = sitim patī
miscē *aquam vīnō!*

[*Gāius:*] "Miscē mihi calidum, nōn fervēns neque tepidum, sed temperātum. [*Vīnum gustat.*] Adice merum!"

vīnum calidum
fervēns -entis = calidissimus

[*Postquam bibērunt convīvae triclīnium ingrediuntur.*]


[*Iūlius:*] "Sī vultis, discumbāmus!"

dis-cumbere = suīs locīs accumbere

[*Gāius:*] "Ubi iubēs?"

[*Iūlius:*] "In prīmō locō discumbe!"

[*Convīvae in lectīs discumbunt. Affertur gustātiō: ōva, holera, piscēs...*]


cucurbita -ae *f*

gustātiō -ōnis *f* = prīma pars cēnae (↔ mēnsa secunda)

[*Iūlius, ad singulōs ministrōs:*] "Dā nōbīs prīmum bētās aut cucurbitās! Porrige mihi mappam! Ūnus ex vōbīs pānem frangat! Pōne oxygarum et lactūcās et cucumerēs! Dā sardīnās, siliquās et oleum Hispānum! Pōne discum cum ēscāriīs! Affer olīvās albās et cāseum! [*Ad hospitēs:*] Cēnāte!"


lactūca -ae *f*


cucumis -eris *m*

bēta -ae *f*


mappa -ae *f* = linteum ad ōs tergendum
oxygarum -ī *n* = acētum mixtum quod cum piscibus gustātur
sardīna -ae *f* = parvus piscis
discus -ī *m* = catīnum
ēscārius -a -um (< *ēsca* = cibus) = edendus; *f pl* ūvae ēscāriae

siliqua -ae *f*


[*Post gustātiōnem appōnuntur varia fercula, ut gallīna, lepus, aper.*]

ferculum -ī *m* = cibus quī ōrdine convīvīs affertur
aper aprī *m* = porcus ferus

[*Iūlius, ad ministrum:*] "Praecīde aprum et gallīnam et leporem! Dā carnem assam! Valdē calet. Mandūcēmus!"

aper aprī *m*



gallīna -ae *f*


lepus -oris *m*

prae-cīdere = secāre
assus -a -um = igne coctus sine aquā
calēre = calidus esse (↔ frīgēre)
mandūcāre = dentibus ūtī, ēsse

[*Convīvae:*] "Optimē factum est."

ex-tergēre = dētergēre

[*Iūlius, ad ministrōs:*] "Date aquam ad manūs! – Extergē mēnsam! – Dā nōbīs bibere! Dā merum! Miscē calidum! Omnēs bibāmus!"

propīnāre +*dat* = bibere ad alicuius salūtem

[*Gāius:*] "Sī permittis, prōpīnō tibi."

[*Iūlius:*] "Bene accipiō. [*Ad alium convīvam:*] Quid nōn bibis? Bibe, domine!"

[*Convīva:*] "Petīvī, et nēmō mihi dedit."

[*Statim minister eī vīnum dat.*]

placenta -ae *f* = pānis dulcis

[*Affertur mēnsa secunda: pōma, nucēs, mel, placentās.*]

[*Iūlius, ad ministrōs:*] "Date nōbīs dulcem placentam!"



facula -ae *f* = fax facis *f*

[*Convīvae:*] "Sufficit nōbīs. Eāmus iam! Bene nōs accēpistī."


[*Iūlius, ad servum:*] "Accende faculam!"

ministrāre (< minister) = servīre (convīvīs); ministrantēs = ministrī

[*Gāius:*] "Dā ministrantibus bibere et cēnāre, et cocō, quia bene ministrāvit."

[*Discēdunt convīvae.*]

[*Iūlius:*] "Puer, venī! Collige haec! Omnia suīs locīs repōne!"



pulvīnus -ī *m*

[*Iūlius, cum servō cubiculum ingressus:*] "Dīligenter sterne lectum!"

[*Servus:*] "Strāvimus."

[*Iūlius:*] "Et ideō dūrum est?"

ex-cutere -iō -cussisse -cussum = iactāre, quatere
sēgnis -e = piger; *adv* sēgniter
per-noctāre forīs = per tōtam noctem forīs esse
sī cuius = sī alicuius
audierō = audīverō
re-cipere sē = recēdere
gallicinium -ī *n* = gallī cantus; gallicīniō *abl*: ante lūcem

[*Servus:*] "Excussimus et pulvīnum mollīvimus."

[*Iūlius:*] "Quoniam autem sēgniter fēcistis quae necessāria sunt, nēmō forīs pernoctet aut exeat. Sī cuius vōcem audierō, nōn eī parcam! Recipite vōs, quiēscite, et gallicīniō mē excitāte, ut excurram!"

VII. TABELLARIVS

[*Tabellārius ā Gāiō missus pulsat ōstium Lūciī.*]

[*Ōstiārius:*] "Quis pulsat ōstium?"

[*Tabellārius:*] "Ā Gāiō ad Lūcium. Sī hīc est, nūntiā!"

nūntiā *mē*

[*Ōstiārius, ad Lūcium dominum:*] "Venit ā Gāiō."

[*Lūcius, intus:*] "Rogā illum! [*Ēgressus ipse tabellārium interrogat:*] Quid est, puer? Omnia rēctē?"

rogāre = interrogāre

[*Tabellārius:*] "Etiam, domine. Mīsit tibi epistulam signātam."

etiam : ita (: rēctē sunt omnia)

[*Lūcius:*] "Et ubi est?"

[*Tabellārius:*] "Hīc est."

[*Lūcius:*] "Dā illam, ut videam quid mihi scrīpserit! [*Epistulā perlēctā:*] Scrīpsit mihi dē negōtiō. Nihil tibi dīxit?"

[*Tabellārius:*] "Nihil."

[*Lūcius:*] "Vāde, puer, et nūntiā quoniam veniō."

quoniam veniō : 'mē venīre'

[*Tabellārius redit ad Gāium.*]

[*Lūcius, ad servōs suōs:*] "Date mihi calceāmenta! Affer aquam ad manūs! Dā subarmāle, cinge mē! Dā togam, operī mē! Dā paenulam et ānulōs! [*Ad sodālem suum quendam:*] Quid stās, sodālis? Tolle quae opus sunt et venī mēcum! Festīnō ad amīcum antīquum, senātōrem populī Rōmanī, quī ā Rōmulō dēdūcit genus, ā Trōiānīs Aeneadārum."

[*Exit Lūcius cum sodālī suō.*]

sub-armāle -is *n* = lātum cingulum
sodālis -is *m* = amīcus, comes
(ea) quae opus sunt = quibus opus est
senātor -ōris *m*, ūnus ē DC cīvibus nōbilissimīs, quōrum numerus vocātur *senātus* (-ūs *m*)
genus = omnēs ab eōdem (patre patrum) ortī; ā Rōmulō g. dēdūcit = eius g. ā R. ortum est
Aeneadae -ārum *m pl*, Trōiānī quī Aenēam in Italiam fugientem comitātī sunt
Rōmulus, quī ab Aenēā genus dēdūcit, a. 753 a.C. Rōmam *condidit*
con-dere -didisse -ditum

iūrgium -ī *n* = certāmen (dē iūre)
vagārī = errāre

aes aeris *n* = pecūnia; aes est māteria ex quā efficiuntur assēs, ferrō cārius et argentō vīlius est

īnsānīre = mente *īn-sānus* esse

faenerāre = mūtuum dare pretiō
fraudātor -ōris *m* = vir fallāx

dūc tē! = abī!
quaere *aes ab eō* cui faenerāvistī

iūrāre = dīs testibus affirmāre

contrōversia -ae *f* = iūrgium

VIII. IVRGIVM

[*Iūlius et Gāius, dum in urbe vagantur, Lūciō obviam eunt.*]

[*Iūlius, ad Gāium*]: "Nōn est iste Lūcius, quī meum aes habet?"

[*Gāius:*] "Hic est."

[*Iūlius:*] "Accēdēns ergō salūtābō eum. [*Ad Lūcium accēdit.*] Avē, pater familiās! Nōndum possum accipere meum, quod mihi dēbēs tantō tempore?"

[*Lūcius:*] "Quid dīcis? Īnsānīs!"

[*Iūlius:*] "Faenerāvī tibi aes – et dīcis 'īnsānīs'! Fraudātor, nōn cognōscis mē?"

[*Lūcius:*] "Dūc tē! Quaere cui faenerāstī! ego enim nīl tuum habeō."

[*Iūlius:*] "Iūrā mihi!"

[*Lūcius:*] "Iūrō ubi velīs."

[*Iūlius:*] "Eāmus. Iūrā in templō!"

[*Iūlius cum Lūciō ad templum it.*]

[*Lūcius:*] "Per deum hunc: nihil mihi dedistī."

[*Iūlius:*] "Modo bene. Et contrōversiam facere nōn est bonum līberō hominī et patrī familiās."

[*Iūlius iam intellegit sē nōn Lūciō, sed aliī virō pecūniam faenerāvisse.*]

IX. NVMMVLARIVS

[*Iūlius ante nummulāriī mēnsam adsistit.*]

[*Nummulārius:*] "Domine, quid imperās?"

[*Iūlius:*] "Numquid habēs pecūniam vacuam?"

[*Nummulārius:*] "Quid opus habēs mūtuārī?"

[*Iūlius:*] "Sī habēs, commodā mihi quīnque sēstertia."

[*Nummulārius:*] "Et sī nōn habērem, undecumque explicārem."

[*Iūlius:*] "Pignus vīs?"

[*Nummulārius:*] "Absit, nōn opus habeō. Cavē mihi 'tē accēpisse'."

[*Iūlius:*] "Quibus ūsūrīs?"

[*Nummulārius:*] "Quibus vīs."

[*Iūlius dē pecūniā mūtuā cavet: scrībit 'sē HS $\bar{V}$ accēpisse atque cum ūsūrīs redditūrum esse'.*]

[*Iūlius:*] "Cāvī."

[*Nummulārius Iūliō HS $\bar{V}$ commodat.*]

[*Iūlius:*] "Grātiās tibi agō."

[*Nummulārius:*] "Signā!"

[*Iūlius, postquam signāvit:*] "Signāvī."

[*Nummulārius:*] "Numerā!"

[*Iūlius, pecūniā numerātā:*] "Numerāvī."

[*Nummulārius:*] "Probā!"

[*Iūlius:*] "Probāvī."

[*Nummulārius:*] "Sīcut accēpistī, probum redde!"

[*Iūlius:*] "Cum tibi redditerō, et satisfaciam."

[*Hīs perāctīs, Iūlius cum pecūniā discēdit.*]

nummulārius -ī *m* (< nummus) = tabernārius quī pecūniam mūtuam dat pretiō
ad-sistere -stitisse = cōnsistere et stāre

opus habeō = mihi opus est
mūtuārī = mūtuum sūmere
commodāre = mūtuum dare
sēstertia *n pl* = mīlia sēstertium
unde-cumque = ā quōquō locō, quōquō modō
ex-plicāre ↔ implicāre; pecūniam explicāre : quaerere
pignus -oris *n* = rēs cāra quae datur prō pecūniā mūtuā
cavēre = litterīs prōmittere 'sē pecūniam redditūrum esse'

ūsūra -ae *f* = pretium prō pecūniā mūtuā solvendum

$\bar{V}$ = quīnque mīlia; HS $\bar{V}$ = quīnque sēstertia (= quīnque mīlia sēstertium)

cavēre cāvisse cautum

(rem) probāre = probam exīstimāre, 'probam esse' dīcere

satis-facere (+ *dat*) = dare quod satis est, grātum facere; satisfaciam *tibi* (: ūsūrās solvendō)
per-agere

male-dictum -ī *n* < *male-dīcere*

X. MALEDICTA

[*Hōrā nōnā Iūlius balneās petit. Ibi Sōsia, servus ēbrius, eī in ōstiō occurrit. Iūlius īrāscitur.*]

īrāscī = īrātus fierī

[*Iūlius:*] "Dūc tē ergō! Quid stās?"

per-tinēre: ad mē pertinet = mea rēs est; tibi pertinet = ad tē p.
prōcūrātor -ōris *m* < *prō-cūrāre* = negōtium cūrāre prō aliquō

[*Sōsia:*] "Quid tibi pertinet? Prōcūrātor meus es?"

[*Iūlius:*] "Dūc tē!"

impostor -ōris *m* = vir fallāx, fraudātor

[*Sōsia:*] "Recēde, impostor!"

male-dīcere +*dat*
cruci-fīgere = crucī fīgere
ex-pedīre +*dat* = prōdesse

[*Iūlius:*] "Maledīcis mihi, malum caput? Crucifīgāris! Male facis, et nescīs quod nōn expedit tibi."

[*Sōsia:*] "Quārē?"

ingenuus -a -um = līberō patre nātus

[*Iūlius:*] "Quoniam ego ingenuus homō sum, tū autem nēquam servus!"

[*Sōsia:*] "Silentium habē!"

pār paris *adi* = aequus

[*Iūlius:*] "Vīs ergō discere: nōn sum tibi pār!"

līberțus -ī *m* = lībertīnus

[*Sōsia:*] "Nōn, impostor? Volō discere utrum servus sīs an lībertus?"

[*Iūlius:*] "Nōn dō tibi ratiōnem.

[*Sōsia:*] "Quārē?"

[*Iūlius:*] "Quoniam nōn es dignus! Eāmus ad dominum tuum!"

[*Sōsia:*] "Fortasse."

[*Iūlius:*] "Ego enim ingenuus omnibus nōtus sum et pater familiās."

appāret = plānē vidētur

[*Sōsia:*] "Appāret ā faciē tuā!"

[*Iūlius:*] "Eāmus nōs!"

abs-trahere

[*Iūlius Sōsiam sēcum abstrahere temptat, cum dominus Sōsiae iīs obviam venit.*]

opportūnus -a -um = idōneus; *adv* tempore opportūnō

[*Iūlius:*] "Opportūnē vēnistī. Quaerēbam tē, quod factum est mihi malum."

XI. IVDICIVM

Dominus [*Lūcius*] prōcēdēns occurrit amīcō suō, et dīxit: "Avē, Gāī!" et ōsculātus est eum.

Et [*Gāius*] resalūtāvit eum dīcēns: "Bene valeās, Lūcī! Est tē vidēre! Quid agis?"

[*Lūcius:*] "Omnia rēctē. Quōmodo habēs?"

[*Gāius:*] "Grātulor tibi – sīcut mihi."

[*Lūcius:*] "⟨Vocātus sum in⟩ iūdicium."

[*Gāius:*] "Quālis est ipsa rēs?"

[*Lūcius:*] "Nōn valdē magna, est enim pecūniāria. Sī vacat tibi, adestō nōbīs! Iūdicēs enim diem nōbīs dedērunt hodiernum sententiam dictūrī. Quārē volō tē praesente dē causā cum advocātīs tractāre."

[*Gāius:*] "Adhibuistī ⟨advocātōs⟩?"

[*Lūcius:*] "Adhibuī."

[*Gāius.*] "Quōs?"

[*Lūcius:*] "Tuōs amīcōs."

[*Gāius:*] "Bene fēcistī. Cōnstituistī circā quam hōram? in quō locō?"

[*Lūcius:*] "In forō, in porticū iūxtā statuam Victōriae."

[*Gāius:*] "Post modicum illūc veniō."

[*Lūcius:*] "Sed rogō in mente habeās!"

[*Gāius:*] "Sēcūrus estō: mihi pertinet."

[*Discēdit Gāius.*]

[*Lūcius, ad servum suum:*] "Eāmus nōs ad nummulārium; accipiāmus ab eō dēnāriōs centum. Dēmus causidicō honōrārium et advocātīs et iūris perītō, ut studiōsius dēfendant nōs."

[*Servus, nummulārium cōnspiciēns:*] "Iste est."

iūdicium -ī *n* = iūs iūris *n* = locus et tempus quō iūs dīcitur dē cīvium contrōversiīs

est tē vidēre! = quam grātum mihi est tē vidēre!
quid agis? = quōmodo *tē* habēs?

pecūniārius -a -um < pecūnia
iūdex -icis *m* = quī inter cīvēs iūs dīcit (: statuit quid iūs sit)
hodiernus -a -um < hodiē
sententia = quod iūdex statuit
causa : rēs quae agitur in iūdiciō
ad-vocātus -ī *m* (< *ad-vocāre*) = quī alicui adest in iūdiciō
tractāre = agere
ad-hibēre +*acc* = ūtī +*abl* (< ad + habēre); aliquem a. = cōnsilium/auxilium alicuius quaerere

Victōria dea



statua -ae *f*

modicus -a -um = nec magnus nec parvus, *n* paulum; post modicum *temporis...* ven*iam*
rogō *ut* in mente habeās (: reminīscāris)
sē-cūrus -a -um = sine cūrā, nihil cūrāns
mihi pertinet = ad mē pertinet

causidicus -ī *m* = quī causās agit apud iūdicēs
honōrārium -ī *n* = mercēs
perītus -a -um (↔ ignārus) +*gen* = quī rem bene scit

[*Lūcius:*] "Accipe ab eō nummōs, et sequere!"

[*Nummīs acceptīs, servus Lūcium ad forum sequitur.*]

cōnsilium -ī *n* = iī quī conveniunt ut cōnsilium capiant
īnstrūmenta : tabulae, litterae (dē causā quae agitur)

[*Lūcius:*] "Sīcut cōnstituimus adest Gāius. Convocēmus eum in cōnsilium. Hīc habēmus īnstrūmenta."

[*Lūcius Gāium sēcum dūcit ad iūdicēs.*]

dē-nūntiāre +*dat* = imperāre ut adsit; -āstī = -ā*v*istī

[*Iūdex:*] "Dēnūntiāstī illī?"

[*Lūcius:*] "Dēnūntiāvī."

testārī = testēs ad-vocāre

[*Iūdex:*] "Testātus es?"

[*Lūcius:*] "Testātus sum."

[*Iūdex:*] "Parātus estō!"

[*Lūcius:*] "Parātus sum."

adversārius -ī *m* = quī adversus certat

[*Iūdex:*] "Et adversārius interpellāre vult. Tacē!"

[*Lūcius:*] "Taceō."

[*Postquam adversārius interpellāvit et Lūciī causidicus respondit, surgit iūdex.*]

praecō -ōnis *m* = quī nūntiōs pūblicōs *praedicat*
praedicāre = clārā vōce nūntiāre


[*Praecō praedicat:*] "Silentium habēte! Audiāmus sententiam!"

[*Iūdex sententiam dīcit.*]


audīstī = audī*v*istī

[*Lūcius:*] "Audīstī, Gāī? ācta rēs est et vīcimus."

[*Gāius Lūciō grātulātur.*]



Tarentum -ī *n*
Syrācūsae -ārum *f pl*
Epidamnus -ī *f* (= Dyrrachium)



MENAECHMI

Ex Plautī cōmoediā prologus et scaena ultima

Persōnae: MENAECHMVS I
MENAECHMVS II sīve SOSICLES
MESSENIO, servus Menaechmī II

Scaena: EPIDAMNI ante domum Menaechmī I

Menaechmī -ōrum *m pl*, frātrēs geminī, titulus cōmoediae
T. Maccius Plautus -ī *m*, scrīpsit cōmoediās XXI; senex mortuus est a. 184 a.C. (ante Christum)
Menaechmus -ī *m* (MEN.)
Sōsiclēs -is *m*
Messēniō -ōnis *m* (MESS.)

PROLOGVS

1-2 Salūtem vōbīs, spectātōrēs, nūntiō!
Apportō vōbīs Plautum – linguā, nōn manū! –
quaesō ut benignīs accipiātis auribus.
5 Nunc argūmentum accipite atque animadvertite
– quam poterō in verba cōnferam paucissima.
17 Mercātor quīdam fuit Syrācūsīs senex.
Eī sunt nātī fīliī geminī duo,
ita fōrmā similī puerī utī māter sua
20 nōn internōsse posset quae mammam dabat,
neque adeō māter ipsa quae illōs pepererat!
(ut ille dīxit mihi quī puerōs vīderat).
24 Postquam iam puerī septuennēs sunt, pater
25 onerāvit nāvem magnam multīs mercibus.
Impōnit alterum geminum in nāvem pater,
Tarentum āvēxit sēcum ad mercātum simul;
illum relīquit alterum apud mātrem domī.
Tarentī lūdī forte erant cum illūc venit;

prologus = is quī prologum dīcit
salūtem nūntiāre = salūtem dīcere
quaesō = rogō
benignus -a -um = quī bene vult
argūmentum -ī *n*: a. fābulae = rēs quae in fābulā aguntur
cōn-ferre con-tulisse col-lātum = contrahere, brevem facere
in verba quam paucissima (: tam pauca quam) poterō
(puerī) fōrmā similī : fōrmam similem habentēs, similēs
utī = ut
māter sua (: eōrum) quae mammam (= pectus) dabat : nūtrīx
inter-nōvisse (alterum ab alterō) = *dis-cernere*
ad-eō = etiam; neque adeō = ac nē quidem
septuennis -e = VII annōs nātus
onerāre = onere implēre (*onus* -eris *n* = quod portātur/vehitur)
alterum g.: Menaechmum (I)
ā-vehere ↔ ad-vehere
sē-cum simul = ūnā sē-cum
mercātus -ūs *m* = locus quō conveniunt mercātōres ut vēndant
illum alterum: Sōsiclem

mortālēs multī, ut ad lūdōs, convēnerant.
Puer inter hominēs ibi aberrāvit ā patre.
Epidamniēnsis quīdam ibi mercātor fuit,
is puerum tollit āvehitque Epidamnum eum.
Pater eius autem, postquam puerum perdidit,
animum dēspondit, eāque is aegritūdine
paucīs diēbus post Tarentī ēmortuu'st.
  Postquam Syracūsās dē eā rē rediit nūntius
ad avum puerōrum 'puerum surreptum alterum
patremque puerī | esse Tarentī ēmortuum',
immūtat nōmen avus huic geminō | alterī
– ita eum dīlēxit quī surreptu'st alterum:
illīus nōmen indit illī quī domī est
'Menaechmō', idem quod alterī nōmen fuit
(et ipsus eōdem avus est vocātus nōmine).
Nē mox errētis, iam nunc praedicō prius:
idem est ambōbus nōmen geminīs frātribus.
  Epidamniēnsī illī, quem dūdum dīxeram
geminum illum puerum quī surripuit alterum,
eī līberōrum – nisi dīvitiae – nihil erat.
Adoptat illum puerum surrepticium
sibi fīlium, eīque uxōrem dōtātam dedit,
eumque hērēdem fēcit cum ipse obiit diem.
Nam rūs ut ībat forte, ut multum plūverat,
ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longulē,
rapidus raptōrī puerī subdūxit pedēs
abstrāxitque hominem in māximam malam crucem!
Illī dīvitiae ita ēvēnērunt māximae.
[*Domum Menaechmī I mōnstrat.*]

mortālēs -ium *m pl* = hominēs
ut ad lūdōs *fierī solet*

Epidamniēnsis -e < Epidamnus

tollere = auferre, abdūcere

perdere = āmittere
animum dē-spondēre -disse = dēspērāre
aegritūdō -inis *f* = dolor animī
ē-morī = morī
-u'st = -*us est*

avus -ī *m* = pater patris
surreptum *esse*

im-mūtāre = mūtāre
geminō alterī : Sōsiclī
dīligere -lēxisse -lēctum

in-dere -didisse -ditum = dare
illī nōmen dat 'Menaechmō' (*dat*) = ... 'Menaechm*um*'

ipsus = ipse; ipsus avus eōdem nōmine vocātus est
errāre = prāvē intellegere, fallī

ambō -ae -ō, *dat m* -ōbus

dūdum *adv* = modo
dīxeram : dīxī

līberōrum nihil = nūllī līberī
nisi dīvitiae : nisi dīvitiae eī erant prō līberīs
ad-optāre = suum fīlium facere
surrepticius -a -um = surreptus
dōtātus -a -um = pecūniōsus
hērēs -ēdis *m* = cui pecūnia hominis mortuī relinquitur
ob-īre (mortem/diem) = morī
ut rūs (= in rūs) ībat = cum... īret
pluere plūvisse: pluit = imber fit
longulē = longē (: procul)
rapidus *fluvius*
raptor -ōris *m* = quī rapit
sub-dūcere; alicui pedēs s. = aliquem lābentem facere
mala crux = mala fortūna (: nex)
ē-venīre = accidere, fierī; + *dat*
(rēs) eī ēvenit = eī datur

Is illīc habitat geminus surreptīcius.
Nunc ille geminus quī Syrācūsīs habet
hodiē in Epidamnum vēnit cum servō suō
hunc quaeritātum geminum germānum suum.
Haec urbs Epidamnus est, dum haec agitur fābula
– quandō alia agētur, aliud fiet oppidum,
sīcut familiae quoque solent mūtārier:
modo lēnō hīc habitat, modo adulēscēns, modo senex...

SCAENA VLTIMA

[*Menaechmus II (Sōsiclēs) cum servō Messēniōne ante domum Menaechmī I ambulat. Menaechmus I forās exit.*]

1062 MESS. Dī immortālēs! Quid ego videō?
MEN. II Quid vidēs?
MESS. Speculum tuum.
MEN. II Quid negōtī est?
MESS. [*Men. I mōnstrāns*] Tua'st imāgō, tam cōnsimile'st quam potest.
MEN. II Pol profectō haud est dissimilis, meam cum fōrmam nōscitō.
1066 MESS. [*ad Men. I*] Adulēscēns, quaesō hercle, ēloquere tuum mihi nōmen, nisi piget.
1068 MEN. I —∪— Mihi est Menaechmō nōmen.
MEN. II Immō edepol mihī!
MEN. I Siculus sum Syrācūsānus.
MEN. II Ea domus et patria est mihī.
1070 MEN. I Quid ego ex tē audiō?
MEN. II Hoc quod rēs est.
MESS. Nōvī equidem hunc: erus est meus.

habēre = habitāre
servō: Messēniōne
quaeritāre = quaerere
(frāter) germānus = frāter eōdem patre et eādem mātre nātus
quandō = cum
-ārier = -ārī (*īnf pass*)
lēnō -ōnis *m* = quī amōrem fēminārum virīs vēndit

Menaechmus avus
Moschus ∞ Teuximarcha
pater | māter
Menaechmus (surreptīcius) | Sōsiclēs (Menaechmus II)
fīliī geminī

speculum : imāginem
negōtium = rēs; negōtī = negōtiī (*gen sg*)
-'st = est; -e'st = -is est
cōn-similis -e = similis
quam *fierī* potest
pol = profectō (< Pollūx -ūcis, deus)
dis-similis -e ↔ similis
nōscitāre = cognōscere, spectāre
hercle = profectō (< Herculēs)
ē-loquī
nisi *tē* piget: mē (*acc*) piget ↔ mihi (*dat*) libet
mihi nōmen est 'Menaechmō' (*dat*) = ... 'Menaechmus'
ede-pol = pol
Siculus -ī *m*, incola Siciliae
Syrācūsānus -a -um < Syrācūsae
rēs est : vērum est

'Hunc' ego 'esse' āiō 'Menaechmum'.
MEN. I |At ego 'mē'.
MEN. II Quae haec fābula'st?
Tū es Menaechmus?
MEN. I 'Mē esse' dīcō, 'Moschō prōgnātum patre'.
MEN. II Tūn' meō patre es prōgnātus?
MEN. I Immō equidem, adulēscēns, meō!
MESS. [*sēcum*] Dī immortālēs! Spem īnspērātam date mihī quam suspicor!
Nam, nisi mē animus fallit, hī sunt geminī germānī duo,
nam et patriam et patrem commemorant pariter quī fuerint sibī.
Sēvocābō erum. [*Clārā vōce*] Menaechme!
MENAECHMI AMBO [*ūnā vōce*] Quid vīs?
MESS. Nōn ambōs volō.
Sed uter vestrum |est advectus mēcum nāvī?
MEN. I Nōn ego.
MEN. II At ego.
MESS. Tē volō igitur. Hūc concēde!
MEN. II Concessī. Quid est?
MESS. Illic homō |aut sȳcophanta aut geminus est frāter tuus.
Nam ego hominem hominis similiōrem numquam vīdī |alterum,
neque aqua aquae nec lacte est lactis, crēde mihi, usquam similius
quam hic tuī est tūque huius autem; post ea͡ndem patriam ac patrem
memorat. Meliu'st nōs adīre |atque hunc percontārier.

ego 'mē *esse Menaechmum' āiō*
quae fābula est? = quid fābulāris?
prō-gnātus = nātus; Moschō patre p. = Moschī fīlius
tūn' = tū-ne
meō *patre prōgnātus sum*
[*sēcum loquēns*]
īn-spērātus -a -um: spēs īnspērāta = quod nōn spērābam
suspicārī = crēdere incipere
mē animus fallit = fallor, errō
pariter = aequē, eōdem modō
sē-vocāre = ā cēteris vocāre
nāvī *abl* = nāve
con-cēdere -cessisse = cēdere, īre
illic illaec illuc = ille illa illud
sȳcophanta -ae *m* = impostor
similis -e +*gen; comp* similior, *sup* simillimus
lacte -is *n* = lac lactis *n*
usquam = ūllō locō (: ūllō modō)
tuī *gen* < tū: hic tuī *similis est* tūque huius *similis es*
post *adv* = posteā (: praetereā)
percontārī = interrogāre

1093 MEN. II Perge operam dare, obsecrō hercle! Līber estō, sī invenīs
hunc meum frātrem esse.

operam dare = labōrāre, dīligenter cūrāre (ut aliquid fiat)
ob-secrāre = ōrāre (per deōs)

MESS. Spērō.

MEN. II |Et ego idem spērō fore.

1095 MESS. [*ad Men. I*] Quid ais tū? 'Menaechmum', opīnor, 'tē vocārī' dīxerās.

opīnārī = putāre
dīxerās : dīxistī

MEN. I Ita vērō.

MESS. Huic item Menaechmō nōmen est. 'In Siciliā
tē Syrācūsīs nātum esse' dīxistī: hic nātu'st ibī.
'Moschum tibi patrem fuisse' dīxistī: huic itidem fuit.
1111 Quid longissimē meministī, dīc mihi, in patriā tuā?

itidem (< ita-dem) = item
huic itidem *Moschus pater* fuit
longissimē : prīmum omnium

MEN. I Cum patre ut abiī Tarentum |ad mercātum; posteā
inter hominēs mē deerrāre ā patre atque inde āvehī.

ut abiī : mē abiisse
de-errāre = aberrāre

MEN. II Iuppiter suprēme, servā mē!

suprēmus -a -um = summus

MESS. [*ad Men. II*] Quid clāmās? Quīn tacēs?
1115 [*ad Men. I*] Quot erās annōs nātus, cum tē pater ā patriā |āvehit?

āvehit : āvēxit

MEN. I Septuennis, nam dentēs mihī cadēbant prīmulum.
Neque patrem postillāc umquam vīdī.

cadēbant prīmulum (= prīmum *adv*) : cadere incipiēbant
post-illāc = posteā

MESS. Quid? vōs tum patrī
fīliī quot erātis?

MEN. I Ut nunc māximē meminī, duo.

MESS. Uter erātis, tūn' an ille, māior?

uter *erat*

MEN. I Aequē ambō parēs.

parēs *erāmus*

1120 MESS. Quī id potest?

quī *adv* = quōmodo
quī id *fierī* potest?

MEN. I Geminī ambō erāmus.

MEN. II Dī mē servātum volunt!

MESS. [*ad Men. II*] Sī interpellās, ego tacēbō.

MEN. II Potius taceō.

MESS. Dīc mihī:

ūnō nōmine erātis? = ūnum (idem) nōmen vōbīs erat?
mihi hoc *nōmen* erat

ūnō nōmine ambō erātis?

MEN. I Minimē, nam mihi hoc | erat

quod nunc est: Menaechmō. | Illum tum vocābant Sōsiclem.

MEN. II Mī germāne gemine frāter, salvē! | Ego sum Sōsiclēs. 1125

post *adv* = posteā

MEN. I Quōmodo igitur post Menaechmō nōmen est factum tibī?

re-nūntiāre
⟨*⟩ dēsunt circiter XV syllabae (‘tē *surreptum esse...*’)

MEN. II Postquam ad nōs renūntiātum’st ‘tē ⟨*⟩ ....

.... et patrem esse mortuum’,

nōmen meum mūtāvit
fēcit mihi : dedit mihi
mī = mihi

noster avus mūtāvit: quod tibi nōmen est, fēcit mihī.

MEN. I Crēdō ita esse factum ut dīcis. Sed mī hoc respondē: 1130

rogāre = interrogāre

MEN. II Rogā!

MEN. I Quid erat nōmen nostrae mātrī?

Teuximarcha -ae *f* (-ae *dat*)

MEN. II Teuximarchae.

convenit : ita est

MEN. I Convenit.

cōn-spicārī = cōnspicere

Ō salvē, īnspērāte, multīs annīs post quem cōnspicor!

et (= etiam) tū *salvē!*
miseria -ae *f* < miser
ūsque ad-hūc = ūsque ad hoc tempus

MEN. II Frāter, et tū, quem | ego multīs miseriīs, labōribus

ūsque adhūc quaesīvī, quemque ego esse inventum gaudeō.

[*Ad Mess.*] Līber estō! 1148

cum : quoniam

MEN. I Cum tū es līber, gaudeō, Messēniō.

~ēre = ~ērunt *(perf 3 pl)*
ex sententiā = ex voluntāte

MEN. II Quoniam haec ēvēnēre nostrā, frāter, ex sententiā, 1151

in patriam redeāmus ambō.

volēs *fut 2 sg* < velle
velle *fut 1* volam volēmus
2 volēs volētis
3 volet volent

MEN. I Frāter, faciam ut tū volēs...

MESS. Nunc, spectātōrēs, valēte, et nōbīs clārē plaudite! 1162

DE VERSIBVS

Syllabae et pedēs

Syllaba brevis [⏑] est quae in vōcālem brevem dēsinit; cēterae omnēs syllabae sunt longae [—]: *sa-lū-tem-... nūn-ti-ō.*

Syllabae acūtae sunt quae leguntur vōce māiōre vel clāriōre quam cēterae. In versibus legendīs et aliae syllabae et syllaba vocābulī ultima acuī potest (ut *il-lúm, ge-mi-nī́, se-néx*).

Vōcālis vocābulī ultima (et *-am, -em, -im, -um*) ante vōcālem (vel *h-*) prīmam vocābulī sequentis ēlīditur [’]: *crē-d’i-t’es-se.*

Cōnsonāns vocābulī ultima cum vōcālī (vel *h-*) prīmā vocābulī sequentis contrahitur [⁀]: *qui-d⁀est?*

Interdum bīnae vōcālēs in syllabā contrahuntur: *fuit, ei, tuum.*

Versūs in pedēs dīviduntur, quibus nōmina sunt: iambus ⏑ —, trochaeus — ⏑, anapaestus ⏑⏑ —, dactylus — ⏑⏑, spondēus — —, tribrachys ⏑⏑⏑. In singulīs pedibus acuitur syllaba longa vel prior ē bīnīs brevibus.

Trochaicus dīcitur versus quī trochaeōs continet aliōsve pedēs quōrum prīma syllaba acuitur: —́ ⏑, —́ —, —́ ⏑⏑, ⏑́⏑ —, ⏑́⏑⏑.

Iambicus est versus quī iambōs continet aliōsve pedēs quōrum secunda aut tertia syllaba acuitur: ⏑ —́, — —́, ⏑⏑ —́, — ⏑́⏑, ⏑⏑́⏑.

Sēnāriī sunt versūs quī in sēnōs pedēs dīviduntur, septēnāriī quī septēnōs pedēs continent.

Versus iambicus sēnārius

Hōc versū ūtitur Plautus in prologō – et Phaedrus in *Fābulīs Aesōpiīs* (vidē pāginās 33–41). Pedēs sīc ōrdinantur:

⏑ —́ | ⏑ —́ | ⏑ —́ | ⏑ —́ | ⏑ —́ | ⏑ —́
⏑⏑ ⏑́⏑ | ⏑⏑ ⏑́⏑ | ⏑⏑ ⏑́⏑ | ⏑⏑ ⏑́⏑ | ⏑⏑ ⏑́⏑ | ⏑
— ⏑́⏑ | — ⏑́⏑ | — ⏑́⏑ | — ⏑́⏑ | — ⏑́⏑

Exempla ex *Menaechmīs* cōmoediā:

3 *Ap-pór|tō vṓ|bīs Pláu|tum lín|guā nṓn| ma-nū́*
4 *quae-s’út| be-níg|nī-s⁀ác|ci-pi-ā́|ti-s⁀áu|ri-bús*
5 *Nun-c⁀ár|gū-mén|t’ac-cí-pi|t’at-qu’á-ni|mad-vér|ti-te*
17 *Mer-cā́|tor quī́|dam fuit| Sy-rā́|cū-sī́s | se-néx*
18 *e-ī́ | sunt nā́|tī fī́| li-ī́ | ge-mi-nī̂| du-o*
21 *ne-qu’á-de|ō mā́|te-r⁀íp|sa qu’íl|lōs pé-pe|re-rát*
24 *post-quám| iam pú-e|rī sép|tu-én|nēs súnt| pa-tér*
26 *im-pṓ|ni-t⁀ál|te-rúm| ge-mi-n’ín| nā-vém |pa-tér*
31 *pu-e-r⁀ín|te-r⁀hó-mi|nē-s⁀í-b’a|ber-rā́|vi-t⁀ā́| pa-tre*
44 *e- t⁀íp|su-s⁀e-ṓ |d’a-vu-s⁀ést| vo-cā́|tus nṓ|mi-ne*
60 *a-dóp|ta-t⁀íl|lum pú-e|rum súr|rep-tī́ |ci-úm*
62 *e-úm|qu’hē-rḗ|dem fḗ |cit c’íp|s’o-bi-ít | di-ém*

⏑ syllaba brevis
— syllaba longa

ʹ syllaba acūta

acuere -uissse -ūtum = acūtum facere

crēd(ō) it(a) esse (1130)

pedēs:
⏑ — iambus -ī *m*
— ⏑ trochaeus -ī *m*
⏑⏑ — anapaestus -ī *m*
— ⏑⏑ dactylus -ī *m*
— — spondēus -ī *m*
⏑⏑⏑ tribrachys -yis *m*

trochaicus -a -um < trochaeus

iambicus -a -um < iambus

sēnārius -a -um < sēnī (6)
septēnārius -a -um < septēnī (7)

Vocābula nova:
ad-eō: neque adeō 21
ad-optāre 60
aegritūdō -inis *f* 35
argūmentum -ī *n* 5
-ārier = -ārī (*īnf pass*) 74, 1091
ā-vehere 27, 33, 1113, 1115
avus -ī *m* 38, 40, 44
benignus -a -um 4
con-cēdere -cessisse 1086
cōn-ferre 6
cōn-similis -e 1063
cōn-spicārī 1132
con-venīre: convenit 1131
crux: mala c. 66
de-errāre 1113
dē-spondēre -disse 35
dis-similis -e 1064
dūdum *adv* 57
dōtātus -a -um 61
edepol 1068
ē-loquī 1066
ē-morī 36
errāre 47 (1082)
ē-venīre 67, 1151

germānus -ī *m* 71, 1082, 1125
habēre = habitāre 69
hercle 1066, 1093
hērēs -ēdis *m* 62
illic = ille 1087
im-mūtāre 40
in-dere -didisse -ditum 42
īn-spērātus -a -um 1081,1132
inter-nō(vi)sse 20
itidem 1098
lacte = lac 1089
lēnō -ōnis *m* 75
longissimē 1111
longulē 64
mamma -ae *f* 20
mercātus -ūs *m* 27, 1112
miseria -ae *f* 1133
mortālēs -ium *m pl* 30
negōtium -ī *n* 1063
nōscitāre 1064
ob-īre -iisse, diem o. 62
ob-secrāre 1093
onerāre 25
onus -eris *n* (25)
opīnārī 1095
pariter 1083
per-contārī 1091
per-dere -didisse 34
pigēre: piget 1066
pluere -ūvisse 63
pol 1064
post-illāc 1117
prīmulum *adv* 1116
prō-gnātus -a -um 1072,1073
quaeritāre 71
quaesō 4, 1066
quī *adv* 1120
raptor -ōris *m* 65
re-nūntiāre 1127
rūs *adv* 63
sententia: ex sententiā 1151
septuennis -e 24, 1116
sē-vocāre 1084
sub-dūcere 65
suprēmus -a -um 1114
surrepticius -a -um 68
suspicārī 1081
sȳcophanta -ae *m* 1087
tollere 33
tuī (*gen* < tū) 1090
usquam 1089

Exempla ex *Fabulīs Aesōpiīs:*

Ae-sṓ|pu-s⁀áuc|tor quám| mā-té-ri|am rép|pe-rít prol.1
han-c⁀é-go| po-lī́ |vī vér|si-bús|sē-nā́|ri-ī́s prol.2
Ad rī́|v'e-ún|dem lú-pu-|s⁀e-t⁀ág|nus vḗ|ne-ránt I.1.1
si-tī́ | com-púl|sī. sú-pe|ri-ór| stā-bát| lu-pús I.1.2
An-t'hṓs| sex mḗn|sē-s⁀ā́it| ma-le-dī́x|is-tī́ | mi-hī́ I.1.10
64 Dum haec loquitur, venit in aedēs quāsdam in quibus sodālicium erat eōdem diē futūrum; quō iste – prō nōtitiā dominī aedium – ingreditur cum hospitibus.

"Hīc" inquit "habitō."

Perspicit argentum quod erat expositum, vīsit triclīnium strātum, probat.

asturcō -ōnis *m*, equus pretiōsus (ex Asturiā, regiōne Hispāniae)
fragilis -e = quī facile frangitur
chorāgium -ī *n* = īnstrūmentum scaenicum, rēs mīrabilis
com-parāre = parāre (ūtendum)
vidēre ut... = cūrāre ut...
numerētur *pecūnia mea*
sī *fierī* potest
illō = illūc
tū mittās oportet = tē mittere o.
trāns-numerāre = fīnem facere numerandī
Libanus -ī, Sōsia -ae *m*, servōrum nōmina
sānē *ita faciam*

splendidus -a -um (< splendēre) = clārissimus, magnificus
peregrīnārī = peregrē iter facere
-ārat = -āverat
hercule! = hercle!
con-turbāre = perturbāre

rēctā *adv* = rēctā viā

unde-libet : ā quō-libet (ā quōquō vōbīs libet : ab omnibus)
invenīre : cognōscere

ostentātiō -ōnis *f* < ostentāre
cuius modī = cuius generis, quōmodo, quālis
in-cendere -disse -cēnsum
novam vīllam aedificāre
tametsī : at tamen
in *praediō meō* Tūsculānō
fundāmentum -ī *n* = īnfima pars mūrī/aedificiī (sub terrā)

aedēs -ium *f pl* = domus
sodālicium -ī *n* = convīvium sodālium
nōtitia -ae *f* < nōtus; prō nōtitiā dominī : quia dominō nōtus erat

per-spicere -iō -exisse -ectum = dīligenter aspicere
vīsere = spectāre

servulus -ī *m* = servus, puer
ventūrum *esse*
"sī vīs, exī!"

ex *praediō* Falernō (: in agrō Falernō sitō)
pergere = continuō īre
decimā *hōrā*
raptim = celeriter
con-icere -iō -iēcisse -iectum; sē conicere = properāre

cuius -a -um *adi* = cuius *gen*: domus *cuia* = domus *cuius*
dīversōrium -ī *n* = domus ubi cibus et lectus petitur pretiō
dē-rīdēre -sisse -sum
sē cōn-ferre = īre
ex-postulāre = īrātus querī

similitūdō -inis *f* < similis; s.e locī = quia similis est locus
angiportum -ī *n* = via angusta
-āsse = -ā*vi*sse
ad noctem multam : ad noctem sēram (: ad III/IV vigiliam)

vestīmenta = vestēs (ad lectōs)

in-urbānus : rūsticus, rudis
strēnuus -a -um = impiger
concinnus -a -um = urbānus et prūdēns
dē-dūcere
nuptiae -ārum *f pl* < nūbere
commodāre = ūtendum dare quod reddendum est
re-petere = petere ut reddātur
per-timēscere -timuisse = incipere timēre, timidus fierī

apage (tē)! = abī!
familiam : servōs meōs

licet ūtātur = licet eī ūtī (meō argentō)
dēlectābimur : contentī erimus
Samius -a -um < Samos; *n pl* = vāsa Samia (vīlia, nōn argentea)
falsā glōriā

annuus -a -um < annum manēns
ē-nārrāre = plānē nārrāre

Accēdit servulus; dīcit hominī clārē 'dominum iam ventūrum: sī velit exīre!'

"Itane?" inquit, "Eāmus, hospitēs! Frāter venit ex Falernō, ego illī obviam pergam. Vōs hūc decimā venītōte!"

Hospitēs discēdunt. Iste sē raptim domum suam conicit.

Illī decimā quō iusserat veniunt. Quaerunt hunc, reperiunt domus cuia sit. In dīversōrium dērīsī cōnferunt sēsē.

Vident hominem posterō diē: nārrant, expostulant, accūsant!

Ait iste 'eōs similitūdine locī dēceptōs angiportō tōtō deerrāsse; sē contrā valētūdinem suam ad noctem multam exspectāsse!"

Sanniōnī puerō negōtium dederat ut vāsa, vestīmenta, puerōs rogāret. Servulus nōn inurbānus satis strēnuē et concinnē comparārat.

Iste hospitēs domum dēdūcit; ait 'sē aedēs māximās cuidam amīcō ad nuptiās commodāsse!'

Nūntiat puer 'argentum repetī' – pertimuerat enim quī commodārat.

"Apage tē!" inquit, "Aedēs commodāvī, familiam dedī – argentum quoque vult?! Tametsī hospitēs habeō, tamen ūtātur licet – nōs Samiīs dēlectābimur."

Quid ego quae deinde efficiat nārrem? Eius modī est hominis nātūra ut quae singulīs diēbus efficiat glōriā atque ostentātiōne, ea vix annuō sermōne ēnārrāre possim!

VITA SVAVIS



Q. Hōrātius Flaccus: SERMONES, I.6.111–131


[Q. Horātius Flaccus nātus est Venusiae, in oppidō Āpuliae, annō LXV a.C. Pater eius lībertīnus fīlium parvum Rōmam dūxit, ut ab optimīs magistrīs docērētur. Cum versūs scrībere coepisset, Horātius ā poētā Vergiliō Maecēnātī, virō Rōmānō dīvitissimō, commendātus est. Maecēnās Horātium aliōsque poētās pauperēs opibus atque cōnsiliīs adiuvābat. In librīs duōbus, quibus 'Sermōnēs' titulus est, Horātius versibus hexametrīs dē variīs rēbus scrīpsit, sīcut dē vītā suā et dē hominum nātūrā et mōribus. Mortuus est annō VIII a.C.]

com-mendāre = adiuvandum et tuendun trādere (fideī alicuius)

... Quācumque libīdō est
incēdō sōlus; percontor 'quantī holus ac far?';
fallācem Circum vespertīnumque pererrō
saepe Forum; adsistō dīvīnīs.


porrum -ī *n*


cicer -eris *m*


lapis -idis *m*

Inde domum mē
ad porrī et ciceris referō laganīque catīnum.
Cēna ministrātur puerīs tribus, et lapis albus
pōcula cum cyathō duo sustinet; adstat echīnus
vīlis, cum paterā gūtus, Campāna supellex.

quā-cumque = quōquō locō
libīdō -inis *f* < libēre; libīdō est *mihi* = mihi libet
in-cēdere = prōcēdere
far farris *n*, frūmentī genus vīle
'fallāx' dīcitur circus quia ibi cīvēs falluntur ā tabernāriīs
vespertīnus -a -um < vesper
per-errāre Forum = errāre per F.
dīvīnus -a -um < dīvus; *m* = quī dīvīnē fātum praedīcit; dīvīnīs *dat*: ad dīvīnos

sē re-ferre = redīre

laganum -ī *n* = placenta lāta et tenuis
lapis albus: *marmor* -is *n*, mēnsa *marmorea* (ē marmore facta)
duo pōcula
Campānus -a -um, ex Campāniā
supellex -ectilis *f* = rēs quibus domus ōrnātur (ut lectī, sellae, mēnsae, vāsa, pōcula, cēt.)


cyathus -ī *m*


echīnus -ī *m*


patera -ae *f*


gūtus -ī *m*

echīnus



Deinde eo dormītum, nōn sollicitus mihi quod crās
surgendum sit māne...

sollicitus -a -um = cui animus turbātur
mihi surgendum est = surgere dēbeō

ad quārtam *hōram*
lēctō aut scrīptō *eō* quod...
olīvum -ī *n* = oleum (oleō unguntur quī in *campō Mārtiō* exercentur); campus Mārtius: Rōmae, inter Tiberim et collēs
ast = at
: admonuit *ut* lavātum *īrem*
lūsus -ūs *m* < lūdere
trigōn -ōnis *m* = lūsus quō ternī pilam inter sē iaciunt
interpellet (: prohibeat) *nē* dūrem
dūrāre = perferre (rem dūram)
ōtiārī = ōtiō fruī; domesticus ōtior : domī ōtior
ambitiō -ōnis *f* = cupiditās honōris; ambitiōne solūtus : sine a.e
hīs : hōc modō
mē cōnsōlor *mē* vīctūrum *esse*
quaestor, praetor: *vidē īnfrā!*
avus atque pater meus

Ad quārtam iaceō. Post hanc vagor – aut ego, lēctō
aut scrīptō quod mē tacitum iuvet, ungor olīvō.
.....
Ast ubi mē fessum sōl ācrior īre lavātum
admonuit, fugiō Campum lūsumque trigōnem.
Prānsus nōn avidē (quantum interpellet inānī
ventre diem dūrāre), domesticus ōtior.
Haec est
vīta solūtōrum miserā ambitiōne gravīque.
Hīs mē cōnsōlor vīctūrum suāvius ac sī
quaestor avus pater atque meus praetorque fuissent.


magistrātus -ūs *m* = quī negōtium pūblicum gerit, officiālis
creāre = facere, ēligere
ad-ministrāre = (negōtium) agere, prōcūrāre
quaestor -ōris *m*
aerārium -ī *n* (< aes) in forō Rōmānō in templō Sāturnī erat
aedīlis -is *m*
praetor -ōris *m*
cōnsul -is *m*
senātus -ūs *m* = cūnctī senātōrēs (numerō DC)
cōnsulere -uisse -ltum (aliquem) = cōnsilium petere (ab aliquō)
dignitās -ātis *f* < dignus

[*Dē magistrātibus Rōmānīs*]

[*Quotannīs ā populō Rōmānō creābantur magistrātūs, quī varia negōtia pūblica administrārent, ut quaestōrēs, quibus cūra aerāriī, quō continēbātur pecūnia pūblica, crēdita erat, aedīlēs, quī viās et lūdōs et aedificia pūblica cūrābant, praetōrēs, quī iūdiciīs praeerant, atque bīnī cōnsulēs, quī summum imperium in rē pūblicā tenēbant, ita tamen ut dē omnibus rēbus senātum cōnsulerent.*

Lībertīnīs, ut patrī Horātiī, nōn licēbat dignitātem senātōris vel magistrātūs tenēre.]


Vesta -ae *f*, dea focī
Cūria -ae *f*, aedificium quō senātus convenit
basilica -ae *f*, aedificium pūblicum ubi et alia multa negōtia aguntur et iūs dīcitur
Castor -oris *m*, deus, Iovis fīlius, Pollūcis frāter geminus



GARRVLVS MOLESTVS

Q. Hōrātius Flaccus: SERMONES, I.9

Ībam forte viā Sacrā, sīcut meus est mōs
nescioquid meditāns nūgārum, tōtus in illīs.
Accurrit quīdam nōtus mihi nōmine tantum,
arreptāque manū: "Quid agis, dulcissime rērum?"
"Suāviter, ut nunc est" inquam, "et cupiō omnia quae
vīs."
Cum adsectārētur, "Num quid vīs?" occupō.
At ille
"Nōris nōs" inquit, "doctī sumus."
Hīc ego "Plūris
hōc" inquam "mihi eris."
Miserē discēdere quaerēns
īre modo ōcius, interdum cōnsistere, in aurem
dīcere nescioquid puerō – cum sūdor ad īmōs
mānāret tālōs.
"Ō tē, Bōlāne, cerebrī
fēlīcem!" āiēbam tacitus, cum quidlibet ille
garrīret, vīcōs, urbem laudāret.
Ut illī
nīl respondēbam, "Miserē cupis" inquit "abīre,
iam dūdum videō – sed nīl agis: ūsque tenēbō,
persequar! Hinc quō nunc iter est tibi?"
[*Ego:*] "Nīl opus est tē
circumagī: quendam volo vīsere nōn tibi nōtum;
trāns Tiberim longē cubat is, prope Caesaris hortōs."
[*Ille:*] "Nīl habeō quod agam et nōn sum piger: ūsque
sequar tē."



garrulus -a -um = quī garrit; *garrīre* = nūgās fābulārī

sacer -cra -crum: (locus) sacer = ubi diī adōrantur (ut templum); *via Sacra* per Forum dūcit ad templa deōrum; (vi|ā Sac|rā)

nescio-quid = aliquid
meditārī = cōgitāre

ar-ripere -iō -uisse -reptum = ad sē rapere, citō prehendere
"quid agis" *inquit* "dulcissime rērum (: cārissime omnium)?"
cupiō *tibi* omnia quae vīs

ad-sectārī = sequī pergere
occupāre = prius dīcere

nōveris (*coni perf*) nōs (: mē) = putō tē nōvisse nōs (*mē* tibi nōtum esse); doct*us sum*
plūris : plūris aestimandus; hōc plūris = tantō plūris

quaerere +*īnf* = cupere
ōcius *adv comp* = celerius
īre, cōnsistere, dīcere : ībam, cōnsistēbam, dīcēbam
puerō : servō meō
mānāre = fluere
tālus -ī *m* = īnfima crūris pars
Bōlānus -ī *m*, quīdam vir *īrācundus* (= quī facile īrāscitur)
cerebrum : mēns īrācunda; tē cerebrī fēlīcem! = tū quam fēlīx es ob cerebrum! (ce|reb-rī)

ut +*imperf ind* = cum +*imperf coni*: *ut* illī nīl respondē*bam* = *cum* illī nīl respondē*rem*

ūsque (: sine morā) tenēbō *tē*


persequar *tē*

nīl/nihil *adv* = nūllō modō, nōn


circum-agere

cubat : lectō tenētur, aegrōtat
hortī Caesaris: quōs C. Iūlius Caesar populō Rōmānō dōnāvit

Dēmittō auriculās, ut inīquae mentis asellus
cum gravius dorsō subiīt onus.


asellus dorsō onus subit

Incipit ille:
"Sī bene mē nōvī, nōn Viscum plūris amīcum,
nōn Varium faciēs: nam quis mē scrībere plūrēs
aut citius possit versūs? quis membra movēre
mollius? Invideat quod et Hermogenēs, ego cantō!"
Interpellandī locus hīc erat: "Est tibi māter,
cognātī, quīs tē salvō est opus?"
[*Ille:*] "Haud mihi quisquam:
omnēs composuī."
[*Ego:*] "Fēlīcēs! Nunc ego restō.
Cōnfice! Namque īnstat fātum mihi trīste, Sabella
quod puerō cecinit dīvīnā mōtā anus urnā:



Hunc neque dīra venēna nec hosticus auferet ēnsis,
nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra.
Garrulus hunc quandō cōnsūmet cumque. Loquācēs,
sī sapiat, vītet, simul atque adolēverit aetās!"
Ventum erat ad Vestae, quārtā iam parte diēī
praeteritā, et cāsū tunc respondēre vadātō
dēbēbat – quod nī fēcisset, perdere lītem.
"Sī me | amās" inquit, "paulum hīc ades!"
[*Ego:*] "Inteream, sī
aut valeō stāre aut nōvī cīvīlia iūra!
Et properō quō scīs."
"Dubius sum quid faciam" inquit,
"tēne relinquam an rem?"

dē-mittere ↔ tollere
auricula -ae *f* = auris
in-īquus -a -um (↔ aequus)
: prāvus (nōn oboediēns)

Viscus, Varius, poētae nōbilēs
(magnī/plūris/plūrimī) facere
= aestimāre
mē (*abl*) plūrēs = plūrēs quam
ego
citius *adv comp* < citō
Hermogenēs -is *m*, poēta populō
grātus, quem Horātius dēspicit;
cantō quod et H. *mihi* invideat
locus +*gen* = tempus aptum (ad)
cognātī -ōrum *m pl* = propinquī
quīs = quibus (*dat pl*)
opus est + *abl* (: tē salvum esse)
haud mihi *est* quisquam
(mortuum) com-pōnere = *sepelīre*, in *sepulcrō* pōnere; sepulcrum -ī *n* = locus ubi mortuus
sepelītur (sub terrā pōnitur)
cōn-fice! : interfice *mē!*
īn-stāre + *dat* = impendēre
Sabellus -a -um: ē Samniō; quod
anus Sabella *mihi* puerō cecinit
(: versibus praedīxit); Samnium
-ī *n*, regiō in mediā Italiā
urna (dīvīna) movētur antequam
ēdūcitur *sors* (cum fātō scrīptō)

venēnum -ī *n* = pōtiō quae necat
hosticus -a -um = hostīlis
auferet (ad īnferōs) = necābit
latera : pectus et pulmōnēs
tussis -is *f* = morbus faucium
podagra -ae *f* = morbus pedum
quandō(-)cumque = aliquandō
loquāx -ācis (< loquī) = garrulus
adolēscere -ēvisse = adulēscēns
fierī
ventum erat : vēnerāmus
ad Vestae *templum*
IV parte diēī praeter-itā : hōrā III
vadārī = in iūs cōgere; respondēre vadātō : in iūs īre coāctus
līs lītis *f* = contrōversia, causa;
perdere lītem *dēbēbat*
hīc (: in iūre) *mihi* ades!
inter-īre = *dis-per-īre* = perīre
inteream sī... : profectō nec valeō (: possum) stāre nec nōvī...
cīvīlis -e < cīvis; iūs cīvīle
: quod inter cīvēs dīcitur

quid faciam : *utrum* faciam

rem : causam

[*Ego:*] "Mē, sōdēs!"
"Nōn faciam" ille
– et praecēdere coepit.
Ego, ut contendere dūrum est
cum victōre, sequor.
"Maecēnās quōmodo tēcum?"
hinc repetit, "– paucōrum hominum et mentis bene sānae.
Nēmō dexterius fortūnā est ūsus! Habērēs
magnum adiūtōrem, posset quī ferre secundās,
hunc hominem vellēs sī trādere – dispeream, nī
submōssēs omnēs!"
[*Ego:*] "Nōn istō vīvimus illīc
quō tū rēre modō, domus hāc nec pūrior ūlla est
nec magis hīs aliēna malīs: nīl mī officit" inquam
"dītior hic | aut est quia doctior. Est locus ūnī
cuique suus."
[*Ille:*] "Magnum nārrās, vix crēdibile!"
[*Ego:*] "Atquī
sīc habet."
[*Ille:*] "Accendis, quārē cupiam magis illī
proximus esse."
[*Ego:*] "Velīs tantummodo: quae tua virtūs,
expugnābis. Et est quī vincī possit, eōque
difficilēs aditūs prīmōs habet."
[*Ille:*] "Haud mihi dēerō:
mūneribus servōs corrumpam. Nōn, hodiē sī
exclūsus fuerō, dēsistam. Tempora quaeram,
occurram in triviīs, dēdūcam. Nīl sine magnō
vīta labōre dedit mortālibus."

inquit ille
con-tendere = certāre
"M. quōmodo tēcum *agit?*"
re-petit *sermōnem* : pergit
: (vir) quī paucōs hominēs admittit et mentem bene sānam habet
dexter, *adv* dexterē = aptē, prūdenter; dexterius *quam tū*
ad-iūtor -ōris *m* = quī adiuvat
secundās *partēs* ferre *tibi* : tibi (prīmās partēs agentī) adesse
sī vellēs hunc hominem (: mē) *illī* trādere (commendāre)
sub-mōvēre = removēre; submōvissēs (*aliōs* omnēs *poētās*)
istō modō quō tū rēre (= rē*ris*)
rērī = arbitrārī; *-re* = *-ris* (*2 sg*)
nec ūlla domus pūrior est hāc
aliēnus +*abl* = carēns
of-ficere +*dat* = nocēre
dīs dītis = dīves; quia hic (: aliquis) est dītior aut doctior
ūnus quisque = quisque
crēdibilis -e < crēdere; crēdibile est quod crēdī potest
atquī = at (tamen)
sīc *sē* habet (rēs)
mē accendis (: cupidum facis)
illī : Maecēnātī
tantum-modo = tantum, modo
quae tua virtūs... : *ut* tua virtūs *est*, expugnābis *illum*
: *tālis* est *ut* vincī possit, *id*eōque
aditus -ūs *m* < ad-īre; difficilēs aditūs prīmōs habet : prīmō difficilis est aditū
sibi deesse : sibi parcere
cor-rumpere (aliquem) = prāvum facere (pecūniā dandā)
ex-clūdere -sisse -sum ↔ admittere; exclūsus *erō*
occurram *illī*, dē-dūcam (: comitābor) *illum* (domō in Forum)
trivium -ī *n* = locus (in urbe) quō trēs viae conveniunt

agit : loquitur
Aristius Fuscus, amīcus Horātiī
nōbīs occurrit

pulchrē : bene
nōsset = nō*vi*sset : nōverat (cui ille bene nōtus erat)

tendere = properāre, īre
respondet *mihi eadem rogantī*

vellere = prehendere et arripere
pressāre = premere
lentus -a -um (↔ celer) = tardus
nūtāre = capite mōtō significāre
dis-torquēre = circum movēre

salsus -a -um (< sāl) = iocōsus
dis-simulāre = simulāre sē nōn intellegere; dissimul*ābat*
bīlis -is = liquor ventris acerbus; b. meum iecur ūr*ēbat* : īrāscēbar
sēcrētō *adv* = sine testibus

sabbata -ōrum *n pl*, diēs fēstus Iūdaeōrum (VIII quisque diēs)
vīn' = vīs-ne
curtus -a -um = cui sectum est aliquid (: *praepūtium -ī n*)
op-pēdere + *dat* = foedē dērīdēre

religiō -ōnis *f* = timor deōrum; *I syllaba longa!* (rel-i-gi|ō'st)
at m*ihi est religiō*
īn-fīrmus -a -um = dēbilis
aliās *adv* = aliō tempore

(*mēcum dīcō*) 'hunc-ne sōlem tam nig|rum surrēx*isse* mihi!' : "ō quam niger hic sōl (: diēs) surrēxit (: ortus est) mihi!"
sub cultrō : occīdendum, sine spē
linquere = relinquere
obvius venīre = obviam venīre

quō *īs* tū
in-clāmāre = clāmāre
an-testārī = testem vocāre (in iūs); "licet *mihi* antestārī *tē*?" *inquit*
op-pōnere + *dat* (< ob-) = appōnere; auriculam o.ō *eī*: quia testis vocātur aure tangendā
adversārius rapit *illum* in iūs
utrimque *adv* = ex utrāque parte
concursus -ūs *m* < *con-currere* = in eundem locum currere
Apollō -inis *m*, deus et aliārum artium et artis poēticae

Haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi cārus et illum
quī pulchrē nōsset. Cōnsistimus.
[*Fuscus:*] "Unde venīs?" et
"Quō tendis?" rogat – et respondet.
Vellere coepī
et pressāre manū lentissima bracchia, nūtāns,
distorquēns oculōs, ut mē ēriperet.
Male salsus
rīdēns dissimulāre! Meum iecur ūrere bīlis!
[*Ego:*] "Certē 'nescioquid sēcrētō velle loquī tē'
āiēbās 'mēcum'."
[*Fuscus:*] "Meminī bene, sed meliōre
tempore dīcam. Hodiē trīcēsima sabbata: vīn' tū
curtīs Iūdaeīs oppēdere?"
"Nūlla mihi" inquam
"religiō est."
[*Fuscus:*] "At mī. Sum paulō īnfīrmior, ūnus
multōrum. Ignōscēs. Aliās loquar."
Huncine sōlem
tam nigrum surrēxe mihī! Fugit improbus, ac mē
sub cultrō linquit!
Cāsū venit obvius illī
adversārius, et "Quō tū, turpissime?" magnā
inclāmat vōce, et "Licet antestārī?"
Ego vērō
oppōnō auriculam. Rapit in iūs. Clāmor utrimque,
undique concursus!
Sīc mē servāvit Apollō.

DE MENDACIO PAPIRII PVERI

Aulus Gellius: NOCTES ATTICAE, I.23



puer praetextātus

4 Mōs anteā senātōribus Rōmae fuit in Cūriam cum praetextātīs fīliīs introīre.

5 Tum, cum in senātū rēs māior quaepiam cōnsultāta eaque in diem posterum prōlāta est placuitque 'ut eam rem super quā tractāvissent nē quis ēnūntiāret priusquam dēcrēta esset', māter Papīriī puerī, quī cum parente suō in Cūriā fuerat, percontāta est fīlium 'quidnam in senātū patrēs ēgissent?'

6 Puer respondit 'tacendum esse, neque id dīcī licēre'.

7 Mulier fit audiendī cupidior: sēcrētum reī et silentium puerī animum eius ad inquīrendum ēverberat. Quaerit igitur compressius violentiusque.

8 Tum puer, mātre urgente, lepidī atque fēstīvī mendāciī cōnsilium capit: 'Āctum in senātū' dīxit, 'utrum vidērētur ūtilius exque rē pūblicā esse: ūnusne ut duās uxōrēs habēret an ut ūna apud duōs nupta esset?!'

9 Hoc illa ubi audīvit, animus compavēscit, domō trepidāns ēgreditur, ad cēterās mātrōnās pergit.

10 Vēnit ad senātum postrīdiē mātrum familiās caterva. Lacrimantēs atque obsecrantēs ōrant 'ūna potius ut duōbus nupta fieret quam ut ūnī duae!'

11 Senātōrēs ingredientēs in Cūriam, quae illa mulierum intemperiēs et quid sibi postulātiō istaec vellet, mīrābantur.

12 Puer Papīrius in medium Cūriae prōgressus, quid māter audīre īnstitisset, quid ipse mātrī dīxisset, rem sīcut fuerat dēnārrat.

mendācium -ī *n* < mendāx
Aulus Gellius vīxit saeculō II p.C. Opus: *Noctēs Atticae,* librī XX, *noctū* in *Atticā* cōnscriptī
Atticus -a -um < Attica -ae *f*, regiō Graeciae, caput: Athēnae
praetextātus -a -um < (toga) *praetexta:* toga *purpurā* (rubrō colōre) ōrnāta, quam gerunt puerī ūsque ad aetātis annum XVII
quis- quae- quod-piam = aliquī
cōnsultāre = cōnsulere (dē)
senātuī placet = senātus *dēcernit*
dē-cernere -crēvisse -crētum = statuere (lēge)
nē quis (: quisquam) ē-nūntiāret
parēns -entis *m* = pater

patrēs -um *m pl* = senātōrēs

"tacendum est neque id dīcī licet"
sēcrētum -ī *n* = quod tacendum est (: dē quō tacendum est)
ē-verberāre = incitāre
com-pressē *adv* = ācriter
violentus -a -um = vī ūsus
urgēre = premere
lepidus -a -um = bellus
fēstīvus -a -um = salsus, iocōsus
āctum *esse*

ex rē pūblicā esse = reī publicae prōdesse
nupta -ae *f* (< nūbere) = uxor

ubi + *perf* = ubi prīmum, ut
com-pavēscere = pertimēscere
trepidāre = perterritus esse

caterva -ae *f* = turba, multitūdō hominum

in-temperiēs -ēī *f* = animus male temperātus, audācia
quid sibi vult? = quid significat?
postulātiō -ōnis *f* < postulāre
istic istaec istuc = iste ista istud

īn-sistere -stitisse (+ *īnf*) = valdē temptāre
dē-nārrāre = plānē nārrāre

Senātus fidem atque ingenium puerī exōsculātur, cōn- 13
sultum facit 'utī posthāc puerī cum patribus in Cūriam nē introeant – praeter ille ūnus Papīrius', atque puerō posteā cognōmentum honōris grātiā inditum *Praetextātus* ob tacendī loquendīque in aetāte praetextae prūdentiam.

ex-ōsculārī = valdē dīligere
(senātūs) cōnsultum -ī *n* = quod ā senātū dēcrētum est

praeter *aliōs* ille ūnus P. (cum patre introeat)
inditum *est*
Praetextātus, cognōmen *gentis* Papīriae: Papīrius Praetextātus
prūdentia -ae *f* < prūdēns
gēns (Iūlia, Papīria) = omnēs quibus idem est nōmen (-ius/-ia, ut Iūlius/-ia, Papīrius/-ia)

DE CONVIVIO

Aulus Gellius: NOCTES ATTICAE, XIII. 11

Lepidissimus liber est M. Varrōnis ex *Satirīs Menippēīs* 1
quī īnscrībitur *Nescīs quid vesper sērus vehat,* in quō disserit dē aptō convīvārum numerō dēque ipsīus convīviī habitū cultūque.

Dīcit autem 'convīvārum numerum incipere oportēre ā 2
Grātiārum numerō et prōgredī ad Mūsārum', id est proficīscī ā tribus et cōnsistere in novem, ut, cum paucissimī convīvae sunt, nōn pauciōrēs sint quam trēs, cum plūrimī, nōn plūrēs quam novem. "Nam multōs" inquit "esse nōn 3
convenit, quod turba plērumque est turbulenta." ...

"Ipsum deinde convīvium cōnstat" inquit "ex rēbus quattuor et tum dēnique omnibus suīs numerīs absolūtum est: sī bellī homunculī collēctī sunt, sī ēlēctus locus, sī tempus lēctum, sī apparātus nōn neglēctus."

"Nec loquācēs autem" inquit "convīvās nec mūtōs legere oportet, quia ēloquentia in forō et apud subsellia, silentium vērō nōn in convīviō, sed in cubiculō esse dēbet."

Sermōnēs igitur id temporis habendōs cēnset 'nōn 4
super rēbus anxiīs aut tortuōsīs, sed iūcundōs atque invītābilēs et cum quādam illecebrā et voluptāte ūtilēs, ex quibus ingenium nostrum venustius fīat et amoenius.' ...

M. Terentius Varrō, vir doctissimus, vīxit a. 116–27 a.C., opera: *Satirae Menippēae* et alia multa
Menippēus -a -um < Menippus, poēta Graecus saeculī III a.C.
quī īnscrībitur = cui titulus est
dis-serere = sententiam dīcere
aptus -a -um = idōneus

habitus -ūs *m* = modus habendī
cultus -ūs *m* = modus exōrnandī

Grātiae -ārum *f pl,* trēs deae quae Venerem comitantur
Mūsae -ārum *f pl,* novem deae quae singulīs artibus praesunt

convenit = aptum est

omnibus numerīs : o. modīs
ab-solūtus -a -um = perfectus
homunculus -ī *m* = homō
collēctī sunt : convēnērunt
legere = ēligere; lēctus : aptus
apparātus -ūs *m* < *ap-parāre* = parāre, exōrnāre
ēloquentia -ae *f* < *ē-loquēns* -entis = quī bene loquitur
subsellium -ī *n* = sella longa (ut in iūdiciō); apud subsellia : in iūdiciō
id temporis = eō tempore
anxius -a -um = perturbātus; rēs anxia = quae animum perturbat
tortuōsus = difficilis intellēctū
invītābilis -e = grātus, placēns
illecebra -ae *f* = rēs grāta
voluptās -ātis *f* = rēs iūcunda, gaudium (↔ dolor)

DE CONTEMNENDA MORTE

M. Tullius Cicerō: TVSCVLANAE DISPVTATIONES, I



Cicerō

[*M. Tullius Cicerō, ōrātor disertissimus, vīxit annōs CVI–XLIII a.C. Ā rhētoribus et philosophīs optimīs ēducātus, multās causās ēgit. Cōnsul annō LXIII cōnsilia Catilīnae scelerāta dē caede cōnsulum et senātūs oppressit. Praeter ōrātiōnēs multās et epistulās ad familiārēs suōs ēdidit opera rhētorica, ut trēs librōs 'Dē ōrātōre', et philosophica, ut 'Tūsculānās disputātiōnēs', quae annō XLV a.C. cōnscrīptae sunt.*]

7 Nūper... in Tūsculānō, cum essent complūrēs mēcum familiārēs, temptāvī [*scholās Graecōrum mōre habēre...*]: pōnere iubēbam 'dē quō quis audīre vellet', ad id aut 8 sedēns aut ambulāns disputābam. Itaque diērum quīnque 'scholās' (ut Graecī appellant) in totidem librōs contulī. Fīēbat autem ita ut, cum is quī audīre vellet dīxisset quod sibi vidērētur, tum ego contrā dīcerem. Haec est enim, ut scīs, vetus et Sōcratica ratiō contrā alterīus opīniōnem disserendī; nam ita facillimē quid vērī simillimum esset invenīrī posse Sōcratēs arbitrābātur. Sed quō commodius disputātiōnēs nostrae explicentur, sīc eās expōnam quasi agātur rēs, nōn quasi nārrētur. Ergō ita nāscētur exōrdium:

9 *A. Malum* mihi vidētur esse mors.

M. Iīsne quī mortuī sunt an iīs quibus moriendum est?

A. Utrīsque.

M. Est *miserum* igitur, quoniam malum?

A. Certē.

disputātiō -ōnis *f* < *dis-putāre* = variās sententiās dīcere, disserere
disertus -a -um = ēloquēns
rhētor -oris *m* = magister artis ōrātōriae
philosophus -ī *m* = vir doctus quī rērum nātūrae et hominum mōribus studet
Catilīna -ae *m*
scelerātus -a -um < scelus
familiāris -is *m* = amīcus
philosophicus -a -um < philosophus
in *praediō* Tūsculānō
schola -ae *f* = ōrātiō magistrī /philosophī dē rē discendā
pōnere : prōpōnere
tot-idem : īdem numerus (: v)
cōn-ferre = colligere
Sōcratēs -is *m*, philosophus praeclārus, vīxit a. 469–399 a.C.; *adi* Sōcraticus -a -um
ratiō -ōnis *f* = cōnsilium, modus
opīniō -ōnis *f* < opīnārī
vērī simile = quod vērum esse vidētur, vix falsum
quō + *comp* + *coni* = ut...
commodus -a -um = facilis, aptus
ex-plicāre = explānāre, apertē expōnere (verbīs)
ex-ōrdium -ī *n* (< *ex-ōrdīrī*) = prīncipium sermōnis
A.: *audītor* -ōris *m* = quī audit, discipulus
M.: magister
quibus moriendum est = quī moritūrī sunt (*moritūrus* -a -um *part fut* < morī)

M. Ergō et iī quibus ēvēnit iam ut morerentur, et iī quibus ēventūrum est, miserī?


A. Mihi ita vidētur.

M. Nēmō ergō nōn miser!

A. Prōrsus nēmō.

M. Et quidem, sī tibi cōnstāre vīs, omnēs quīcumque nātī sunt eruntve nōn sōlum miserī, sed etiam semper miserī! Nam sī sōlōs eōs dīcerēs 'miserōs' quibus moriendum esset, nēminem tū quidem eōrum quī vīverent exciperēs – moriendum est enim omnibus –, esset tamen miseriae fīnis in morte; quoniam autem etiam mortuī miserī sunt, in miseriam nāscimur sempiternam! Necesse est enim miserōs esse eōs quī centum mīlibus annōrum ante occidērunt – vel potius omnēs quīcumque nātī sunt.

A. Ita prōrsus exīstimō.



Cerberus

M. Dīc, quaesō: num tē illa terrent: triceps apud īnferōs Cerberus, Cocȳtī fremitus, trāvectiō Acherontis,

mentō summam aquam attingēns ēnectus sitī



Tantalus

Tantalus, tum illud quod

Sīsyphus versat
saxum sūdāns nītendō neque prōficit hīlum,



Sīsyphus

fortasse etiam inexōrābilēs iūdicēs Mīnōs et Rhadamanthus?... Haec fortasse metuis, et idcircō mortem cēnsēs esse sempiternum malum?

A. Adeōne mē dēlīrāre cēnsēs ut ista esse crēdam?

M. An tū haec nōn crēdis?

A. Minimē vērō!

iī quibus ēvēnit iam ut morerentur = iī quī iam mortuī sunt
iī quibus ēventūrum est *ut moriantur* = iī quī moritūrī sunt
miserī *sunt?*

nōn *est* miser

prōrsus *adv* = sānē, certē
sibi cōn-stāre = rēctē et cōnstanter disputāre
quī-cumque : quī umquam
miserī *sunt*

miserī *erunt*

ex-cipere = exclūdere, omittere; nēminem exciperēs : nēminem 'nōn miserum' dīcerēs

sempiternus -a -um = *aeternus* = quī semper manet, perpetuus

oc-cidere -cidisse (< ob + cadere) = morī

Cerberus -ī *m*, canis *triceps* quī īnferōs cūstōdit; tri-ceps -cipitis *adi* = cui tria capita sunt
Cocȳtus -ī, Acherōn -ontis *m*, flūmina apud īnferōs
fremitus -ūs *m* = strepitus
trāvectiō -ōnis *f* < *trā(ns)-vehere*
Acherōn trānsvehitur ā mortuīs
sēnārius iambicus: summ'áqu|'at-
at-tingere = tangere
ē-necāre -uisse -ctum = necāre
hexameter: ...Sī-sy-phu'| ver-sat
versāre = *volvere* = circum vertere
nītī nīsum = valdē labōrāre
prō-ficere = opere suō prōcēdere
hīlum *adv*; nōn hīlum = nihil
in-exōrābilis -e = quī *ex-ōrārī* nōn potest; ex-ōrāre = precibus movēre
Mīnōs -ōis *m*, Rhadamanthus -ī *m*, iūdicēs apud īnferōs

ad-eō *adv* = tam valdē, ita
dēlīrāre = īnsānīre
haec *esse*

M. Male hercule nārrās!

A. Cūr, quaesō?

M. Quia disertus esse possem, sī contrā ista dīcerem!

11 *A.* Quis enim nōn in eius modī causā? – aut quid negōtiī est haec poētārum et pictōrum portenta convincere?

M. Atquī plēnī librī sunt contrā ista ipsa disserentium philosophōrum.

A. Ineptē sānē. Quis enim est tam excors quem ista moveant?

M. Sī ergō apud īnferōs miserī nōn sunt, nē sunt quidem apud īnferōs ūllī.

A. Ita prōrsus exīstimō.

M. Ubi sunt ergō iī quōs 'miserōs' dīcis, aut quem locum incolunt? Sī enim sunt, nusquam esse nōn possunt.

A. Ego vērō nusquam esse illōs putō.

M. Igitur nē esse quidem?

A. Prōrsus istō modō, et tamen miserōs ob id ipsum quidem quia nūllī sint.

12 *M.* Iam māllem Cerberum metuerēs, quam ista tam incōnsīderātē dīcerēs!

A. Quid tandem?

M. Quem *esse* negās, eundem *esse* dīcis! Ubi est acūmen tuum? Cum enim 'miserōs *esse*' dīcis, tum 'eum quī *nōn sit*' dīcis '*esse*'!

A. Nōn sum ita hebes ut istud dīcam.

M. Quid dīcis igitur?

A. 'Miserum esse (verbī causā) M. Crassum, quī illās fortūnās morte dīmīserit, miserum Cn. Pompēium, quī

quis nōn *disertus esse posset*...?
negōtium = rēs (difficilis)
pictor -ōris *m* = quī pingit
portentum -ī *n* = rēs mīrābilis contrā nātūram facta
con-vincere = falsum esse dēmōnstrāre

in-eptus -a -um (< in- + aptus) = stultus
ex-cors -cordis *adi* ↔ sapiēns; tam excors quem ista move*ant* = tam e. *ut eum* ista moveant
nē sunt quidem ūllī = certē nūllī sunt

nusquam = nūllō locō

putās-ne igitur *eōs* nē esse quidem? (: nūllōs esse)
et tamen *eōs* miserōs *esse putō*

māllem *coni imperf 1 sg* < mālle
māllem (ut) Cerberum metuerēs = māllem tē C. metuere
in-cōnsīderātus -a -um = temerārius, sine ratiōne
quid (: cūr) tandem? = quidnam? dīc mihi!
acūmen -inis *n* (< acuere) = mēns ācūta

hebes -etis *adi* (↔ acūtus) = mente tardus, stupidus
M. Crassus Dīves, cōnsul a. 70, dux in bellō occidit a. 53 a.C.
verbī causā : exemplī causā
fortūnae *f pl* = dīvitiae, opēs
Cn. Pompēius ā C. Iūliō Caesare victus occīsus est a. 48 a.C.

tantā dignitāte, tantā glōriā sit orbātus, omnēs dēnique miserōs quī hāc lūce careant' ......

M. 'Esse' ergō 'eōs' dīcis. 13

A. Immō, 'quia nōn sint cum fuerint, eō miserōs esse'.

M. Pugnantia tē loquī nōn vidēs? Quid enim tam pugnat quam... 'miserum... *esse* quī *nōn sit*'? An tū ēgressus portā Capēnā, cum... Scīpiōnum, Servīliōrum, Metellōrum sepulcra vidēs, miserōs putās illōs?

A. Quoniam mē verbō premis, posthāc nōn ita dīcam: 'miserōs *esse*', sed tantum: 'miserōs, ob id ipsum quia nōn sint'.

M. Nōn dīcis igitur: "miser *est* M. Crassus", sed tantum: "miser M. Crassus"?

A. Ita plānē.

M. Quasi nōn necesse sit, quidquid istō modō prōnūntiēs, 14
id aut esse aut nōn esse! An tū dialecticīs nōn imbūtus quidem es? In prīmīs enim hoc trāditur: omne *prōnūntiātum...* est vērum aut falsum. Cum igitur dīcis: "miser M. Crassus", aut hoc dīcis: "miser *est* M. Crassus", ut possit iūdicārī vērum id falsumne sit – aut nihil dīcis omnīnō!

A. Age, iam concēdō 'nōn esse miserōs quī mortuī sint...' Quid? quī vīvimus, cum moriendum sit, nōnne miserī sumus? Quae enim potest in vītā esse iūcunditās, cum diēs et noctēs cōgitandum sit iam iamque esse moriendum? .... Sed quoniam coēgistī ut concēde- 15
rem 'quī mortuī essent eōs miserōs nōn esse', perfice, sī potes, ut nē moriendum quidem esse miserum putem!

M. Iam istuc quidem nihil negōtiī est – māiōra mōlior! 16

orbāre +*abl;* rē orbāre aliquem = rem (cārissimam) ēripere alicui
lūce : vītā; lūce carēre : mortuus esse

'...eō (= ideō) *eōs* miserōs esse' *dīcō*
pugnantia *n pl* : rēs inter sē pugnantēs, contrā ratiōnem dicta
extrā portam Capēnam iūxtā viam Appiam sepulcra sunt mortuōrum nōbilissimōrum
Scīpiōnēs -um, Servīliī, Metellī -ōrum *m pl,* gentēs Rōmānae praeclārae (*sg* Scīpiō -ōnis *m,* Servīlius, Metellus -ī *m*)

prō-nūntiāre = praedicāre
dialectica -ōrum *n pl* = ars ratiōne disputandī
imbuere -uisse -ūtum +*abl* = aspergere, ērudīre
in prīmīs = ante omnia, praecipuē
trāditur : docētur
prōnūntiātum -ī *n* = quod prōnūntiātur

iūdicāre (< iūdex) = statuere
vērum falsum-ne = vērum-ne *an* falsum
omnīnō *adv* = plānē, prōrsus
con-cēdere + *acc*+*īnf* = fatērī

nōs quī vīvimus, cum moriendum sit *nōbīs,* ...
iūcunditās -ātis *f* < iūcundus

iam iamque = mox

mē coēgistī ut concēderem = mē coēgistī concēdere

istuc = istud
nihil negōtiī = haud difficile
mōlīrī = magnum opus temptāre

A. Quōmodo hoc 'nihil negōtiī' est? aut quae sunt tandem ista 'māiōra'? ...

quae tandem? = quae-nam?

M. Ut doceam, sī possim, nōn modo malum nōn esse, sed *bonum* etiam esse mortem!

A. Nōn postulō id quidem, aveō tamen audīre. Ut enim nōn efficiās quod vīs, tamen mors ut malum nōn sit efficiēs. Sed nihil tē interpellābō: continentem ōrātiōnem audīre mālō.

avēre = avidē cupere
ut nōn efficiās : etiam sī nōn effēceris
continēns -entis *adi* = quī nōn interpellātur

17 *M*. Quid? sī tē rogāverō aliquid, nōn respondēbis?

rogāre = interrogāre

A. Superbum id quidem est; sed, nisi quid necesse erit, mālō nōn rogēs.

mālō (ut) nōn rogēs = mālō tē nōn rogāre

M. Geram tibi mōrem et ea quae vīs, ut poterō, explicābō. ...

mōrem gerere + *dat:* mōrem tibi gerere = agere ex tuā voluntāte, facere ut vīs

A. Nōs ad audiendum parātī sumus.

18 *M*. Mors igitur ipsa, quae vidētur nōtissima rēs esse, *quid sit* prīmum est videndum. Sunt enim quī *discessum animī ā corpore* putent esse mortem. Sunt quī nūllum cēnseant fierī discessum, sed ūnā animum et corpus occidere animumque in corpore exstinguī. Quī discēdere animum cēnsent, aliī statim dissipārī, aliī diū permanēre, aliī semper.

Quid sit porrō ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissēnsiō est. Aliīs *cor* ipsum animus vidētur.
19 ... *Empedoclēs* animum esse cēnset cordī suffūsum *sanguinem*. Aliīs pars quaedam *cerebrī* visa est animī prīncipātum tenēre. Aliīs nec cor ipsum placet nec cerebrī quandam partem esse animum, sed aliī 'in corde', aliī 'in cerebrō' dīxērunt 'animī esse sēdem et locum'. 'Animum' autem aliī *'animam'*, ut ferē nostrī:

discessus -ūs *m* < discēdere
sunt quī put*ent*/cēnse*ant* = nōnnūllī/aliquī put*ant*/cēns*ent*
ūnā *adv;* ūnā animum et corpus = animum ūnā cum corpore
ex-stinguere ↔ accendere; *pass* perīre, morī
ex iīs quī discēdere animum cēnsent, aliī *cēnsent eum...*
dissipāre = spargere
per-manēre
porrō = deinde, praetereā
dis-sēnsiō -ōnis *f* < *dis-sentīre* ↔ *cōn-sentīre* = idem sentīre
aliīs cor animus *esse* vidētur = aliī cor animum esse cēnsent
Empedoclēs -is *m,* philosophus, in Siciliā docuit saeculō v a.C.
suf-fundere -fūdisse -fūsum + *dat* < sub + fundere
prīncipātus -ūs *m* < prīnceps
alicui placet + *acc* + *īnf* = aliquis cēnset
sēdēs -is *f* = locus quō aliquis sedet/incolit
'animam *esse*' *dīcunt*
ferē = plērumque
nostrī (cīvēs) : Rōmānī

dē-clārāre = clārē ostendere
Zēnō -ōnis *m*, vīxit a. ±334–262 a.C. *Stōicus* dīcitur quod Athēnīs in *Stōā* (: porticū) docuit
Platō -ōnis *m*, philosophus ēgregius, vīxit a. 427–348 a.C.
triplex -icis = ex tribus cōnstāns
ratiō = mēns cōgitāns, prūdentia
arx arcis *f* = summus mōns mūnītus ex quō urbs dēfenditur
subter *prp* + *acc* = īnfrā
praecordia -ōrum *n pl* = pars corporis īnfrā cor et pectus, venter
vīderit : videat, reperiat

quaestiō -ōnis *f* < quaerere; magna q. est : multī quaerunt
dī-iūdicāre = iūdicāre (inter sententiās, quae vēra sit)

sī *fierī* posset

cōn-fundere = miscēre, turbāre
ita ut ista nōn disserantur : etiam sī ista nōn disseruntur

quī-cumque *m* (= quisquis)
quae-cumque *f*
quid-cumque *n* (= quidquid)

sēnsus -ūs *m* < sentīre sēnsisse sēnsum

domicilium -ī *n* = domus

velim mihi persuādērī (= ut mihi persuādeātur) *ut ita sit*

superāre = vincere, melior esse quam
amplius = plūs
Platōnis librō *dē animō* titulus est *Phaedōn* (Φαίδων)

dēclārat nōmen, nam... 'animus' ab 'animā' dictus est.
Zēnōnī Stōicō animus *ignis* vidētur. ...

Platō triplicem fīnxit animum, cuius prīncipātum, id 20
est *ratiōnem*, in capite sīcut in arce posuit, et duās partēs
eī pārēre voluit, *īram* et *cupiditātem*, quās suīs locīs,
īram in pectore, cupiditātem subter praecordia locāvit. ...

Hārum sententiārum quae vēra sit deus aliquī vīderit 23
– quae vērī simillima, magna quaestiō est. Utrum igitur
inter hās sententiās dīiūdicāre mālumus an ad prōpositum redīre?

A. Cuperem equidem utrumque, sī posset, sed est difficile cōnfundere. Quārē sī, ut ista nōn disserantur, līberārī mortis metū possumus, id agāmus. ...

M. Quod mālle tē intellegō, id putō esse commodius.
Efficiet enim ratiō ut, quaecumque vēra sit eārum sententiārum quās exposuī, mors aut malum nōn sit aut sit
bonum potius. Nam sī cor aut sanguis aut cerebrum est 24
animus, certē, quoniam est corpus, interībit cum reliquō corpore; sī anima est, fortasse dissipābitur; sī ignis, exstinguētur. Hīs sententiīs omnibus nihil post mortem pertinēre ad quemquam potest, pariter enim cum vītā sēnsus āmittitur... Reliquōrum sententiae spem afferunt, sī tē hoc forte dēlectat, posse animōs, cum ē corporibus excesserint, in caelum quasi in domicilium suum pervenīre.

A. Mē vērō dēlectat, idque prīmum ita esse velim; deinde, etiam sī nōn sit, mihi persuādērī tamen velim.

M. Quid tibi ergō operā nostrā opus est? Num ēloquentiā Platōnem superāre possumus? Ēvolve dīligenter eius eum librum quī est *dē animō* – amplius quod dēsīderēs nihil erit.

A. Fēcī mehercule, et quidem saepius. Sed, nesciō quōmodo, dum legō, assentior – cum posuī librum et mēcum ipse dē immortālitāte animōrum coepī cōgitāre, assēnsiō illa omnis ēlābitur.

M. Quid hoc? Dāsne 'aut manēre animōs post mortem aut morte ipsā interīre?'

A. Dō vērō.

M. Quid, sī maneant?

A. 'Beātōs esse' concēdō.

M. Sīn intereant?

A. 'Nōn esse miserōs, quoniam nē sint quidem.' Nam istuc, coāctī ā tē, paulō ante concessimus.

M. Quōmodo igitur aut cūr 'mortem malum tibi vidērī' dīcis? quae aut beātōs nōs efficiet animīs manentibus, aut nōn miserōs sēnsū carentēs.

me-hercule = hercule
saepe, *comp* saepius
as-sentīrī -sēnsum (+*dat*) = idem sentīre (atque), cōnsentīre
immortālitās -ātis *f* < immortālis
as-sēnsiō -ōnis *f* < assentīrī
ē-lābī
dare +*acc* +*īnf* = concēdere
'*eōs* beātōs esse' concēdō
concēdō '*eōs* nōn esse miserōs...'
coāctī... concessimus : coāct*us*... concess*ī*

"DOMI NON SVM"

M. Tullius Cicerō: DE ORATORE, II.276

[Nāsīca] cum ad poētam Ennium vēnisset eīque ab ōstiō quaerentī Ennium ancilla dīxisset 'domī nōn esse', Nāsīca sēnsit illam dominī iussū dīxisse et illum intus esse!

Paucīs post diēbus, cum ad Nāsīcam vēnisset Ennius et eum ad iānuam quaereret, exclāmat Nāsīca 'sē domī nōn esse!'

Tum Ennius "Quid? ego nōn cognōscō vōcem" inquit "tuam?"

Hīc Nāsīca: "Homō es impudēns: ego cum tē quaererem, ancillae tuae crēdidī 'tē domī nōn esse' – tū mihi nōn crēdis ipsī?"

Cicerō a. 55 a.C. III librōs scrīpsit *Dē ōrātōre*
P. Cornēlius Scīpiō Nāsīca -ae *m*, cōnsul a. 191 a.C.
'domī nōn esse *dominum suum*'
sentīre sēnsisse sēnsum
: nōn*ne* ego cognōscō...?
im-pudēns -entis *adi* = sine pudōre, audāx
ancillae tuae crēdidī *dīcentī* '...'


Ligurīnus, poētae nōmen fictum

M. Valerius Mārtiālis, poēta Rōmānus, vīxit a. ±40–±104 p.C. Opus: *Epigrammata I–XII*

[1] *hendecasyllabī*

scīre cupis quid *causae* sit quod nēmō tibi libenter occurrit...? (: cūr nēmō tibi l. occurrat...?)

sōlitūdō -inis *f* < sōlus

tigris -is *f* 

catulus -ī *m* = pullus ferae/canis

citāre = incitāre

fer*at* : ferre potest

labōrēs : rēs molestās

mihi stantī/sedentī...

cacāre = ventrem exonerāre

sonāre = sonum facere; sonās : recitās

mē euntem/edentem/iacentem

fugāre = fugientem facere

ēsse, *part praes* edēns -entis

vidēre : intellegere

: *etsī* vir *es* iūstus...

[2] *hexametrī* + *pentametrī*

versiculus -ī *m* = versus

ut versiculōs tuōs recitēs

solea -ae *f* = calceus levis (ante cēnam dēpōnuntur soleae)

dum fercul*um* prīm*um* mor*ātur*

scomber -brī *m* 

pūtidus -a -um = ob vetustātem prāvus (ad gustandum)

mihi pōnis : mihi appōnis

poēma -atis *n* = opus poēticum; poēmata scombrīs dōnāre : p. circum scombrōs implicāre

NIMIS POETA ES, LIGVRINE!

M. Valerius Mārtiālis: Epigrammata, III.44 et 50

[1] Occurrit tibi nēmo quod libenter,
quod quācumque venīs fuga est et ingēns
circā tē, Ligurīne, sōlitūdō,
quid sit, scīre cupis? Nimis poēta es!
Hoc valdē vitium perīculōsum est.
Nōn tigris catulīs citāta raptīs,
nec sīc scorpios improbus timētur!
Nam tantōs, rogo, quis ferat labōrēs?
Et stantī legis, et legis sedentī,
currentī legis, et legis cacantī!
In thermās fugiō – sonās ad aurem!
Piscīnam peto – nōn licet natāre!
Ad cēnam properō – tenēs euntem!
Ad cēnam veniō – fugās edentem!
Lassus dormio – suscitās iacentem!
Vīs quantum faciās malī vidēre?
Vir iūstus, probus, innocēns – timēris!



scorpios -ī *m*

[2] Haec tibi, nōn alia est ad cēnam causa vocandī:
versiculōs recitēs ut, Ligurīne, tuōs!
Dēposuī soleās, affertur prōtinus ingēns
inter lactūcās oxygarumque liber.
Alter perlegitur dum fercula prīma morantur.
Tertius est – nec adhūc mēnsa secunda venit.
Et quārtum recitās, et quīntum dēnique librum.
Pūtidus est, totiēs sī mihi pōnis aprum!
Quod sī nōn scombrīs scelerāta poēmata dōnās,
cēnābis sōlus iam, Ligurīne, domī!

DE QVAESTIONE CHRISTIANORVM

C. Plīnius Secundus: EPISTVLAE

Liber X, Epistula XCVI

C. Plīnius Trāiānō Imperātōrī.

1 Sollemne est mihi, domine, omnia dē quibus dubitō ad tē referre. Quis enim potest melius vel cūnctātiōnem meam regere vel ignōrantiam īnstruere?

Cognitiōnibus dē Chrīstiānīs interfuī numquam. Ideō nesciō quid et quātenus aut pūnīrī soleat aut quaerī.

2 Nec mediocriter haesitāvī,

– sitne aliquod discrīmen aetātum, an quamlibet tenerī nihil ā rōbustiōribus differant?

– dētur paenitentiae venia, an eī quī omnīnō Chrīstiānus fuit dēsiisse nōn prōsit?

– nōmen ipsum, sī flāgitiīs careat, an flāgitia cohaerentia nōminī pūniantur?

Interim, in iīs quī ad mē tamquam Chrīstiānī dēferēbantur hunc sum secūtus modum:

3 Interrogāvī ipsōs 'an essent Chrīstiānī?' Cōnfitentēs iterum ac tertiō interrogāvī supplicium minātus. Persevērantēs dūcī iussī. Neque enim dubitābam, quālecumque esset quod fatērentur, pertināciam certē et īnflexibilem obstinātiōnem dēbēre pūnīrī.

4 Fuērunt aliī similis āmentiae, quōs, quia cīvēs Rōmānī erant, adnotāvī in Urbem remittendōs.

Mox – ipsō tractātū, ut fierī solet, diffundente sē crīmine – plūrēs speciēs incidērunt.

5 Prōpositus est libellus sine auctōre multōrum nōmina continēns.

quaestiō -ōnis *f*: in iūdiciō
C. Plīnius Secundus vīxit a. 61/62–±113 p.C. *Epistulās* ēdidit; a.110–112 in Asiā Bīthȳniam prōvinciam administrāvit unde epistulās mīsit ad Trāiānum
M. Ulpius Trāiānus, Imperātor Rōmānus a. 98–117
sollemnis -e = quod certīs temporibus solet fierī; *n* mōs
cūnctātiō -ōnis *f* < *cūnctārī* = incertus morārī
ignōrantia -ae *f* < ignōrāre
: mē cūnctantem regere vel ignōrantem īnstruere (= docēre)
cognitiō (< cognōscere) = quaestiō
inter-esse + *dat* = adesse in
quā-tenus *adv* = quem ad fīnem
mediocris -e = modicus, *adv* -iter
haesitāre = cūnctārī, dubitāre
discrīmen -inis *n* < dis-cernere
tener -a -um = parvus et dēbilis
quam-libet tenerī: etiam tenerrimī
rōbustus -a -um = validus
dif-ferre = discernī, aliter tractārī
paenitentia -ae *f* = dolor eius quī sē peccāvisse fatētur; p.ae veniam dare = ignōscere ob p.am
venia -ae *f* = ignōscendī grātia
nōmen *'Chrīstiānus'*
co-haerēre -sisse + *dat* = coniungī cum
dē-ferre (reum) = dēnūntiāre, reum facere, accūsāre
cōnfitentēs = eōs quī cōnfitēbantur
tertiō/tertium *adv*
per-sevērāre = cōnstanter permanēre
dūcī *ad supplicium*
-cumque: quālis- quāle-cumque
pertinācia -ae *f* < *pertināx* -ācis *adi* = persevērāns
īn-flexibilis -e = quī nōn flectitur
obstinātiō -ōnis *f* = pertinācia
ā-mentia -ae *f* < *ā-mēns* -entis *adi* = īnsānus (mente)
ad-notāre = statuere (notā)
remittendōs *esse*
tractātus -ūs *m* = modus tractandī
dif-fundere = spargere
speciēs -ēī *f* = fōrma, genus
in-cidere = ēvenīre, fierī

Quī negābant 'sē esse Chrīstiānōs' aut 'fuisse', cum
praeeunte mē deōs appellārent et imāginī tuae (quam
propter hoc iusseram cum simulācrīs nūminum afferrī)
tūre ac vīnō supplicārent, praetereā maledīcerent Chrīstō
– quōrum nihil cōgī posse dīcuntur quī sunt rē vērā
Chrīstiānī –, dīmittendōs putāvī.

Aliī ab indice nōminātī 'esse sē Chrīstiānōs' dīxērunt 6
– et mox negāvērunt: 'fuisse quidem, sed dēsiisse',
quīdam 'ante triennium', quīdam 'ante plūrēs annōs',
nōnnēmō etiam 'ante vīgintī'. Hī quoque omnēs et imāgi-
nem tuam deōrumque simulācra venerātī sunt et Chrīstō
maledīxērunt.

Affirmābant autem 'hanc fuisse summam vel culpae 7
suae vel errōris, quod essent solitī statō diē ante lūcem
convenīre, carmenque Chrīstō quasi deō dīcere sēcum
invicem sēque sacrāmentō nōn in scelus aliquod ob-
stringere, sed 'nē fūrta, nē latrōcinia, nē adulteria
committerent, nē fidem fallerent, nē dēpositum appellātī
abnegārent'. Quibus perāctīs, mōrem sibi discēdendī
fuisse rūrsusque coeundī ad capiendum cibum, prō-
miscuum tamen et innoxium – quod ipsum facere dē-
siisse post ēdictum meum', quō secundum mandāta tua
hetaeriās esse vetueram.

Quō magis necessārium crēdidī ex duābus ancillīs, quae 8
ministrae dīcēbantur, 'quid esset vērī?' – et per tormenta –
quaerere. Sed nihil aliud invēnī quam superstitiōnem
prāvam et immodicam!

Ideō, dīlātā cognitiōne, ad cōnsulendum tē dēcurrī. Vīsa 9
est enim mihi rēs digna cōnsultātiōne, maximē propter
perīclitantium numerum. Multī enim omnis aetātis, omnis

prae-īre; prae-eunte mē = dum ego prae-eō (exemplum)
nūmen -inis *n* = deī voluntās, deus

quī diīs supplicant tūs incendere ac vīnum effundere solent
iī quī sunt

(*eōs*) dīmittendōs (: sine poenā) *esse* putāvī
